ASSVMPTIO MARIÆ VIRGINIS VINDICATA,

CONTRA DISSERTATIONEM
Claudii Iolii Eccleſiæ Pariſienſis
Canonici.

Auctore IACOBO GAVDINO, *Doctore ac Socio Sorbonico, Canonico & Officiali Pariſienſi.*

PARISIIS,
Apud FRANCISCUM MUGUET Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.

M D C L X X.
Cum Privilegio, & Approbatione.

BIBLIOTECA NAZIONALE N.E.M. NAPOLI

REGI GALLIARVM LVDOVICO XIV.

CVM in maximis tuis gravissimisque curis, ex quibus tot populorum fata suspensa sunt, REX MAXIME, *nulla tibi sit antiquior, quàm ut avitam in Regno tuo religionem incolumem integramque serves;*

minimè vereor ne causæ quam ad Majestatem tuam defero patrocinium lubens non suscipias. Agitur de resurgentis assumptæque in cælum Virginis mysterio; cujus fidem Christianissimi Galliarum Imperatores obsecundantibus populi studiis religiosissimè semper amplexi sunt; cujus Festum majori quàm antè à cultu peragi eâ Lege jusserunt quæ jam ante annos octingentos lata in ipsorum Capitulis hodieque servatur. Crevit progressu temporum is cultus ac ve-

neratio in Mariam cælo receptam. Hinc tot magnifica Templa Virgini assumptæ. Hinc Regum tot pretiosa donaria. Hinc populorum tot vota. Sed ut vetera exempla præteream; Cùm ætate nostrâ Ludovicus Iustus se Regnumque suum in tutelam Virginis tradere statuisset, quem potissimùm diem æterno pietatis suæ monimento signatum voluit? Eum scilicet quo assumptæ Virginis miraculum à Christianis populis anniversariâ gratulatione celebratur.

Æmulatus es, REX OPTIME, *tanti Principis, parentis religiosissimi pietatem, Regnumque triumphis tuis amplificatum, illo ipso die consecratum Mariæ Virgini voluisti, quo & regnare ipsa cœpit, & glorioſissimè triumphavit. Celebrabit ergo una eademque dies & Mariæ triumphum, & triumphos Ludovici. Crescet de gloriâ tuâ Marianæ pompæ celebritas. Crescet de Mariani triumphi memoriâ victoriarum tuarum honos. Geminum fe-*

ſtum ſic aget dies unus, ut permixtis amborum dotibus, futurum unum ſit ex alterius ſplendore, ex religione alterius, totum ſplendidum, totum religioſum. Quapropter intereſt gloriæ tuæ, ne quid Virginis triumpho de magnitudine & excellentiâ ſuâ decedat. Decederet autem plurimùm, ſi triumphantis unà corporis, quæ peculiaris ipſi eſt & maximè propria laus, gloria tolleretur.

Magnum quidem eſt, REX POTENTISSIME, *tantum eſſe Principem,*

quantum te Orbis terrarum ſuſpicit; majus, Eccleſiæ Primogenitum tam inſigni tuo merito dici; minùſque te laudabunt poſteri qui victoriis potiùs quàm diuturno bello finem à te impoſitum; qui majeſtatem legibus, doctrinis & bonis artibus ſplendorem, libertatem commercio, ſecuritatem navigationibus, populis tuis pacis ubertatem opeſque reſtitutas, quàm qui te Rege tutam fuiſſe ab omni parte religionem prædicabunt.

Nihil igitur est cur verear, PRINCEPS RELIGIOSISSIME, *ne non grata tibi hæc opella nostra sit, quam & asserendæ Marianæ pietati tot sæculorum præjudicio Majorumque tuorum legibus confirmatæ susceptam profiteor; & Majestati tuæ per Illustrissimum religionis asſertorem Parisiensem Archiepiscopum offero; cujus laus summa est, delectum à te fuisse, qui religioni in Galliarum Metropoli præesset; ut cujus in sacro magisterio indu-*

ſtriam & auctoritatem experſus eras, eumdem populo ad tantum munus præficeres; æquè & tuorum amator & religionis, qui & huic tantum præfeceris Antiſtitem, & illos non alio uti quàm quo uſus ipſe eras, pietatis magiſtro, volueris.

INDEX CAPITVM.

CAPUT I. *De verbis Vſuardi in Capitulo Pariſienſi diſceptatur.* Pag. 1.

CAP. II. *Status quæſtionis.* 15

CAP. III. *Certum eſſe quod Eccleſiæ conſenſu fulcitur.* 29

CAP. IV. *Aſſumptionem Mariæ Virginis probant Acta ſeu monumenta Eccleſiæ vetera.* 48

ARTICULUS PRIMUS.

De Nomine Aſſumptionis. 49

ART. II. *De Martyrologiis.* 66

Martyrologium beati Hieronymi. 68

Martyrologium Bedæ, & aliorum. 77

Martyrologium Romanum. 84

Martyrologia Vſuardi, &

Adonis. 87
Calendaria. 102
ART. III. *De Ordine Romano.* 109
ART. IV. *De libro Sacramentorum S. Gregorii.* 114
ART. V. *De Officio Divino die festo Assumptionis.* 126
CAP. V. *Assumptam Virginem probant sanctorum Patrum aliorumque Auctorum ante Vsuardum testimonia.* 132
ART. I. *Dionysii verba lib. de divinis nominibus expenduntur.* 138
ART. II. *De Iuvenale Hierosolymitano.* 149
ART. III. *De sancto Sabba.* 156
ART. IV. *De Gregorio Turonensi.* 175
ART. V. *De S. Sophronio Patriarcha Hierosolymitano.* 180
ART. VI. *De SS. Damasceno, Cosma, Germano, Andrea Cretensi.* 182
ART. VII. *De festo Assumptionis.* 206
Vsuardus. 231
CAP. VI. *Assumptam Virginem probant sanctorum Patrum qui post Vsuardum vixerunt testimonia,* 238
ART. I. *Simeon Metaphrastes.* 240

CAPITUM.

ART. II. *Petrus Damiani.* 246
ART. III. *Sanctus Bernardus.* 249
ART. IV. *Sanctus Thomas.* 258
ART. V. *Ioannes Gerſon.* 269
ART. VI. *Theologi Pariſienſes.* 277
ART. VII. *Baronius.* 286
ART. VIII. *Petrus Aurelius.* 295
CAP. VII. *Aſſumptio Mariæ virginis probatur rationibus.* 307
CAP. VIII. *Obiectionum ſolutio.* 320
ART. I. *An de Mariæ virginis Aſſumptione dubitatum.* 322
ART. II. *Quæ Eccleſiaſticarum precum auctoritas.* 349
ART. III. *De Roſvueydi Martyrologio.* 369
ART. IV. *Baronius defenditur.* 378
ART. V. *Solvuntur rationes quas Chriſtiano-politicas vocat Diſſertator.* 399
ART. VI. *Epilogus.* 414

Approbatio Doctorum.

NOs infrà-scripti in sacrâ Theologiæ Facultate Doctores Sorbonici, fidem facimus lectum esse à nobis examinatúmque Librum, cui titulus, *Assumptio Mariæ Virginis vindicata, contra Dissertationem Claudii Iolii Ecclesiæ Parisiensis Canonici, authore* IACOBO GAUDINO *Doctore & Socio Sorbonico Canonico & Officiali Parisiensi*; nihilque in eo repertum, quod bonis moribus fideique orthodoxæ adversetur. Datum Parisiis in Sorbonâ undecimo Kalendas Septembris, anno Domini 1670.

I. CHAILLOU, Decanus Belvacensis.

G. CHAMILLARD. N. GOBILLON.

A. DE VREVIN.

ERRATA.

PAgina 7. *à viginti supra centum annis*, lege, à triginta supra centum annis. Pag. 39. *Nec alia mens fuit Thomæ Aquinati & aliis qui eum secuti sunt è Scholâ Theologis*, l. Aquinatis, aliorum, Theologorum. Pag. 141. *Nemo enim, quod sciam, præter Dissertatorem suspicatus est Virginem Deiparam profectam esse Ephesum, ibique mortuam*, adde. De morte saltem, res certa. Pag. 262. *inter ejus opera legitur tomo decimo*, l. nono, ibidem, *aut Fulberti Carnotensis Episcopi*, l. aut alterius scriptoris, Pag. 322. *irripserit*, l. irrepserit.

EXTRAIT DV PRIVILEGE du Roy.

PAR grace & Privilege du Roy, en datte du premier jour de Iuillet 1670. Signé, LOUVET : Il eſt permis à IACQUES GAUDIN, Docteur en Theologie de la Maiſon & Societé de Sorbonne, Chanoine & Official de Paris, de faire imprimer, vendre & debiter par tel Imprimeur ou Libraire que bon luy ſemblera, un Livre intitulé, *Aſſumptio Mariæ Virginis vindicata*, & ce durant l'eſpace de ſept ans entiers & conſecutifs, à commencer du jour que ledit Livre ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois. Et defenſes ſont faites à tous Imprimeurs, Libraires, & autres que ceux qu'il voudra choiſir, d'imprimer ny contrefaire ledit Livre, ſur les peines portées plus au long par ledit Privilege.

Et ledit Sieur GAUDIN a cedé ſon droit de Privilege à FRANÇOIS MUGUET, pour en joüir pendant le temps porté par iceluy.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 27. Aouſt 1670.

Les Exemplaires ont eſté Fournis.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté le 22. Aouſt 1670. *Signé*, LOÜIS SEVESTRE, *Syndic.*

Bernardus Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses.

AT valde honoranda est, inquis, Mater Domini. Bene admones: sed honor Reginæ judicium diligit.

Exalta exaltatam super omnes choros Angelorum ad cælestia regna. Hæc mihi de illâ cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illâ accepi, securus & teneo & trado; quod non scrupulosiùs fateor admiserim. Accepi sanè ab Ecclesiâ illum diem cum summâ veneratione colendum, quo assumpta de sæculo nequam, cælis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum.

ASSVMP-

ASSVMPTIO MARIÆ VIRGINIS VINDICATA.

CAPUT PRIMUM.

DE VERBIS VSVARDI in Capitulo Parisiensi disceptatur.

CUM apud Sacerdotem ac Theologum sanctius nihil aut antiquius esse debeat studio veritatis, nullâ non laude digni sunt, qui in eâ investigandâ laborem omnem atque operam consumunt. Unum tamen sedulò cavendum censuerim, ne Apostolici di-

cti immemores, quo jubemur
Rom. 12. *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, longiùs quàm par est illo studio abripiantur. hoc est, ne veritatem eò se impensiùs amare credant, quò sunt magis suspicioſi, magisque ad dubitandum de rebus quamplurimis proclives. Cùm enim varii sint, ut ita dicam, certitudinis & evidentiæ gradus, quibus ex æquo respondent diversi generis assensus; non continuò tamquam dubium aut incertum rejiciendum venit, quod omnes & singulos certitudinis & evidentiæ gradus non attingit. Alioquin vix rebus aliis assensus præbendus esset, quàm quæ vel experientiæ, vel fidei divinæ certitudine constarent. Quod quàm à ratione alienum sit, quàmque rerum credendarum limites supra modum coarctet, quivis per se intelligere satis potest.

Quorsum autem hæc pertineant, facilè conjiciet, qui quod à nonnullis hujus ævi Scriptoribus factitatum vidimus, paulisper adverterit. Quas non enim illi priscis sæculis receptas, communique piorum ac doctorum sensu stabilitas opiniones convellere conati sunt? Hoc solo nomine, quòd non ipsis omnimodæ certitudinis ac evidentiæ præsidiis innixæ viderentur. Scilicet magnam ingenii ac doctrinæ famam inde aucupantur, si quod alii religiosè credunt, utpote à majoribus longâ successione traditum, id ipsi confidentiâ potiùs & fastidio, quàm ratione aut delectu respuant.

Sed ut de ceteris sileam, in hunc præcipuè scopulum impegit Claudius Jolius Canonicus Ecclesiæ Parisiensis in ea quam nuper edidit *De verbis Vsuardi Dissertatione*. Quamvis enim hoc quo

vivimus sæculo, tot alioquin controversiarum ferace, quæstio hactenus nulla mota fuerit de Assumptione Mariæ Virginis; immo in dies magis invalescat quæ apud Catholicos ea de re semper recepta fuit opinio; tamen quasi hanc ipsi pacem ac quietem invideret, de ea quoque disceptari tandem voluit. Nempe ob eam quam proximè dixi causam. Nam cùm Virginem Deiparam corpore in cælum iviſſe divinâ fide non constet; (ita censet Theologorum pars major) hinc sibi fas putavit asserere, id nullo prorsus modo constare. Quod tamen non sic accipiendum monet, quasi eamdem corporalem Assumptionem, ut loquitur, oppugnare velit, aut posse præsumat; (utrumque enim saltem verbo tenus procul à se removet, ne tam odiosi dicti invidiam subeat) sed quòd *mediâ hîc viâ in-*

cedendum existimet. *Non asserendo nimirum quod non constare* ait; *nec etiam respuendo*, *quod* ejus quoque sensu *infectum dici nequit.* Uno verbo, planè consentit cum Usuardo, qui prætextu laudandæ Ecclesiæ de *sobrietate*, ac, si Deo placet, de *pietate* in *nesciendo*, ab ipsâ ignorari vult quid statuerit Deus de corpore Mariæ Virginis; an scilicet alicubi in terris occultatum maneat; an beatitudinis cùm anima particeps cælo pridem sit receptum.

Quamquam autem Usuardi sententia jam satis profligata fuit à magno Baronio, tum in Notis quas doctissimas edidit ad Martyrologium Romanum; tum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi quadragesimum octavum; quia tamen tanti putavit Dissertator Usuardo suppetias ferre, conquisitis undecun-

que magno ambitu ac per vim accersitis probationibus ; utriusque jam communem errorem pro viribus refellere animum etiam induxi. Eò quidem lubentiùs, quòd vitio forsan verteretur Parisiensibus Canonicis , si nemo ex eis pro Assumptione Mariæ Virginis pugnaret, quam præcipuo cultu ac veneratione singulari se prosequi palam, nec immeritò, tot à sæculis profitentur. Priusquam verò id aggredior, quæ controversiæ in Capitulo Parisiensi exortæ origo fuerit, quæque inde secuta sint, paucis aperiam.

Vetus consuetudo est jam usque ab ipsis Christianæ fidei ducta primordiis , ut saltem majoribus in Templis , per singulos dies annuntietur , quæ Martyris Passio per id tempus contigerit, aut quis festus dies agatur ; eumque in usum confecta

primùm Calendaria; deinde verò Martyrologia, de quibus nobis plurimus erit sermo. Hunc usum religiosè semper servavit ac etiamnum servat Ecclesia Parisiensis. Nam diebus singulis medio in Choro primariæ Basilicæ, antiquior è pueris Symphoniacis aliquid canenti similis, quod sit diei proprium, ex Martyrologio recitat. Sed cùm Martyrologium, quo pluribus ab annis usa est, idque manu scriptum & literis Gothicis, ut aiunt, exaratum, præ vetustate ferè exesum esset, unus è Parisiensibus Canonicis elegantioribus literis describendum curavit. Nondum autem absoluto opere, exposuit in Capitulo sibi dubitationem subortam circa diem decimam quintam mensis Augusti. Nam à viginti supra centum annis lecta est illa die Homilia incerti auctoris, quæ tota est in celebrandis lau-

dibus Mariæ Virginis, ejusque præsertim Assumptione in cælum asserenda. Quam Homiliam, quia longiuscula est, ad calcem hujus operis remisimus. Anteà verò legebantur eadem die ex Martyrologio Usuardi hæc verba,

XVIII. Calend. Septemb.

Dormitio sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus sacratissimum corpus etsi non invenitur super terram, tamen pia Mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quò autem illud venerabile Spiritus sancti Templum nutu & consilio divino occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm quid frivolum & apocryphum, inde tenendo, docere.

Quæsiit ergo ille Canonicus,

num Usuardi verba describenda essent in novo Martyrologio, an verò Homilia pluribus ab annis legi solita. Quia autem quæ ad Ritus Ecclesiæ divinumque Officium pertinent, inconsulto Præsule immutare non licet, prudenter decretum fuit, adeundum Illustrissimum Parisiorum Archiepiscopum Harduinum Perefixium, cui si placeret rem in Capitulo expendi, tum ibi demum de eâ opportunè deliberaretur. Fortè autem adfui in Episcopali Palatio, cùm Canonici quibus hæc provincia demandata fuit, motæ in Capitulo controversiæ argumentum Præsuli exposuerunt. Hos is sedulò rogavit, num ipsi, atque adeò Canonici universi rem totam perpendissent accuratè. Qui cùm respondissent, operæpretium videri ut restituerentur verba Usuardi, quæ nihil obesse

asseverabant communi de assumpto corpore Virginis Fidelium religioni, eâ cautione non abnuit Illustrissimus Archiepiscopus; his tamen iterum admonitis ne quid contra priscam hac in re traditionem fieret. Id cùm posteà ad Capitulum retulissent, nec omisissent illud, Usuardi verba non pugnare cum Assumptione Beatæ Virginis; itum est quidem in eam sententiam ut describerentur in novo Martyrologio: Canonicis tamen aliquot apertè reclamantibus, tum alias ob causas, tum quòd negarent, rem, ut par erat, expositam fuisse Illustrissimo Archiepiscopo.

Hæc dum agerentur in Capitulo, aliò vocatus, non interfui. Sed cùm ab Canonicis qui stabant contra Usuardum, accepissem, nondum lectam fuisse Conclusionem, quam vocant, eâ

de re factam ; ubi postridie pro more legi cœpit, acriter cum illis interceſſi ne confirmaretur. Quin & adductis rationibus plurimis ac teſtimoniis, (quantùm ſaltem per temporis anguſtias licuit) fidem feci Uſuardi verba antiquæ ac probatæ in Eccleſia de aſſumpto corpore Virginis ſententiæ adverſari. Quapropter cùm Canonici qui tum frequentes aderant uno veluti ore profeſſi eſſent, non paſſuros ſe aliquid decerni, quod communi, ſuæque præſertim hac in re ſententiæ contrarium eſſet, ſtatutum eſt concluſioni vim ac confirmationem non addendam ; ſed iterum adeundum Illuſtriſſimum Perefixium, cujus judicio res tota conficeretur. An id actis Capituli conſignaverit Scriba, neſcio. unum ſcio rem ita definitam eſſe, idque, quotquot aderant, Canonicos teſtificaturos. Unde non

rectè ab eodem Scriba factum, cùm revocatam eo quo dixi modo Conclusionem, nec posteriùs confirmatam, Dissertationis Auctori tradidit.

Cùm primùm autem de his certior factus est illustrissimus Archiepiscopus, jussit afferri Martyrologium Usuardi, lectisque semel atque iterum verbis suprà memoratis, quæ prima vice cursim tantùm coram ipso lecta fuerant, (si modò lecta fuerant) ac re maturè perpensa; veterem ac certam de assumpto corpore Virginis traditionem iis convelli censuit. Neque modò suam hac in re mentem referri ad Capitulum voluit; sed eam quoque aperuit pluribus è Canonicis, qui fortè per id tempus ipsi adfuerunt. Rationibus etiam additis, cur Usuardi verba non posse aliter intelligi existimaret. Quid multa? Vetuit ne in novo Mar-

tyrologio mentio ulla fieret Uſuardi ad diem decimam quintam Auguſti. De Homilia quoque incerti auctoris, non repugnavit quin omitteretur. Ac tandem pro ſuâ prudentiâ, ſummáque erga Romanam Eccleſiam reverentiâ, ſtatuit, ut deinceps hæc dumtaxat verba ex Martyrologio Romano legerentur:

Decimo octavo Kal. Septemb.

Aſſumptio ſanctiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ.

En rei totius Hiſtoriam, ex qua occaſionem ſumpſit Diſſertator ſcribendi, edendique operis. Quo conſilio, dicere quis poſſit? Cùm enim ex ſententiâ illuſtriſſimi Archipræſulis, quam ſummis votis amplexi ſunt Canonici, actum ſit de fortunâ Uſuardi; cum causâ planè ceciderit, & quæ lata eſt in eum cen-

sura, executioni propediem sit demandanda ab eo qui Martyrologium omissis Usuardi verbis jussus est describere, quæ spes reliqua Dissertatori? An ut Usuardus in pristinum statum restituatur, spreto judicio decessorum nostrorum, qui à centum & amplius annis ejus verba omittenda decreverunt. Si in eam spem venit Usuardi Defensor, fortioribus armis pugnare debuit. Audivi enim viros doctos qui dicerent, si hæc Pergama defendi potuissent, non tamen ab illo defensa; cùm Dissertatione totâ nullum argumentum occurrat, quo Usuardi causa, tot sæculorum judiciis jam damnata, tantisper adjuvetur. Hæc doctorum virorum sententia quàm æqua sit & rationi consentanea, nostrarum deinceps partium erit ostendere.

CAPUT SECUNDUM.

Status quæstionis.

ETsi nulla virtus Scriptorem magis commendet, quàm si clarè ac perspicuè rem de qua agit exponat; hujus tamen laudis minimè omnium hominum cupidum Dissertatorem meritò judices. Dum enim varia undecunque colligit, ne quid videatur omisisse; dum plures profert non necessarias historias; dum sæpissime in longas abit digressiones, unde vix redeat; denique dum in seipsum identidem incurrit, hîc negando, quod alibi affirmaverat; illic affirmando, quod alibi negaverat, ita fit obscurus, vix ut dijudices quid plerisque in locis probandum, quid improbandum

suſceperit. Perpende quæſo, Lector humaniſſime, ejus verba:

Neque enim hîc de veritate Hiſtoriæ Aſſumptionis corporalis beatæ Mariæ agitur, quam nemo verè Catholicus oppugnare velit, nec etiam poſſit. Itaque nunc de ea ſermo non habebitur, niſi ex occaſione, & in quantum textus Vſuardi poſtulabit.

Pag. 13 *Quis enim negare valeat, Aſſumptionem talem ab omnipotenti Deo fieri potuiſſe? Quis aſſerere præſumat Deum ita fieri noluiſſe? Quis proferre audeat beatiſſimam Virginem, quam Angelus ab ipſo Deo miſſus & ſalutavit, & priuſquàm* Θεοτόκος *eſſet, cæleſti gratia plenam eſſe aſſeveravit; poſtquàm Dei mater eſſe cæpit, peculiarem hanc gratiam non meruiſſe? Qui hæc inter Chriſtianos blaterarit, non modò impius ac blaſphemus, ſed etiam ſtultus, & omnino mentis expers habebitur.*

Quis

Quis non credat, qui ita loquitur, inter acerrimos Marianæ Assumptionis vindices ac patronos annumerandum esse ? Si enim *impius*, si *blasphemus*, si etiam *stultus* ac *mentis expers* sit, qui audeat *blaterare, Beatam Virginem peculiarem hanc gratiam*, ut corpore in cælum iret, *non meruisse*; an non contrà *pium*, *sanctum*, *verum*, & *æquum* asserere hanc ipsi gratiam ac prærogativam concessam esse ? Nisi fortè metuendum sit, ne omnipotens Filius denegaverit matri optimæ, quod meruit. Quod cùm dici nequeat, quid proclivius, quàm opinari Usuardi patronum eadem nobiscum sentire de Assumptione beatissimæ Virginis ?

Subsiste tamen aliquantisper, & hæc verba, quæ contextu eodem, quasi priorum immemor, protulit, adverte :

Vt autem prodigiosæ impietatis

ac extremæ dementiæ argueretur, qui talem corporis Assumptionem, quasi falsam, denegaret; ita præscriptos ab Ecclesia limites ille transgrederetur, &, ut ait Tullius, lineas transiliret, qui eam pro constanti atque indubitata assereret, cùm incedere medius jussus sit, non asseverando quod non prorsus constat, nec etiam respuendo quod infectum dici nequit, sed piè credendo quod fieri non tantùm potuit, sed etiam convenienter decuit.

Tuam fidem, Lector! quàm derepente mutatus Dissertator! quàm alius à seipso! sed quàm male nos affectos esse cupit erga B. Virginis Assumptionem! quàm indigno cultu nos eam prosequi adhortatur! Si enim ipsi credimus, Scepticorum more dubii hærebimus & ancipites, utrum cum anima corpus ejus ad cælum translatum fuerit, necne. immo, similes erimus via-

toribus, qui cœcâ nocte deprehenſi, incerti viarum hærere malunt, quàm ulteriùs progredi cum periculo erroris. Neque verò Eccleſiam hîc itineris ducem habere poſſimus: cùm & ipſa in tenebris verſetur pluſquàm Cimmeriis: cui nempe poſt tot ſæcula nondum liqueat, ubi relictum, aut quò tranſlatum Virginis corpus fuerit; ita-ut non aliter ejus Aſſumptionem nobis colendam proponat quàm ſub conditione, ſi modò ipſa non erret. Egregium verò cultum!

Audio quid reſpondeas Uſuardi vindex: non ita omnino rem ſe habere, cùm eò uſque progredi nos ſinas, *ut piè credamus talem corporis Aſſumptionem, quæ fieri non tantùm potuit, ſed etiam convenienter decuit.* Verùm audi me viciſſim. An putas quæ *piè* creduntur ab universâ Eccleſiâ nullâ certitudine niti? An neſcis

Eccleſiam id dici *piè* credere, quod quamvis ſit omni ex parte certum, fidei tamen divinæ certitudinem non habet? Ita enim intelligendum eſſe docent cùm ſanctus Thomas, tum alii Theologi, in hac præſertim de Virgine aſſumptâ quæſtione? Quem exiſtimas aſſenſum poſſe dari rei prorſus dubiæ ac incertæ? An rationabile putas obſequium quod ratione nullâ fulciatur? An hîc quæris demonſtrationes Mathematicas? An denique communis perpetuuſque Eccleſiæ conſenſus, qualem, ut ſpero, non dubiis argumentis evincam fuiſſe in hac cauſa, ejus aſſerendæ momentum non ſatis firmum?

Pace tuâ liceat dixiſſe, fucum facis veritati, dum te Aſſumptionem corporalem (agnoſce tua verba) beatiſſimæ Virginis Mariæ paſſim crede-

re profiteris. Cùm enim toto libello id moliaris unum, ut quæ corpore assumptam Virginem probant, momenta explodas; cùm argumenta historica, quibus tantùm fidem habendam contendis, proferri posse nulla censeas; cùm assumpti corporis miraculum à Beato Luca ignoratum disertis verbis asseras, atque adeo non factum; denique cùm apertè pronunties, *Assumptionis fidem incertis ac fabulosis dumtaxat narrationibus niti; impostoresque* voces, qui existiment eam ab Ecclesiâ asseveranter teneri; quid vero similius, immo quid verius, quàm eamdem à te non credi, ac proinde, si non verbis, saltem mente prorsus negari? Solemne quippe iis, qui novas opiniones tentant inducere, ut non statim sententiam suam apertè prodant, sed tempus exspectent, quò commodiùs

Pag. 68.

Pag. 113.

id minorique cum invidiâ & periculo præſtent.

Non deſunt tamen, ne quid hîc diſſimulem, qui propterea eum aliquatenus excuſandum putent, quòd ipſe forſan, quid hac in re ſentiat, non ſatis expenderit. Quam ſententiam ſumunt alio ex libello ab ipſo pridem edito *de Reformandis horis Canonicis*. Quotuſquiſque enim, inquiunt, fuit, qui non crederet hoc ipſi propoſitum fuiſſe, ut Breviarii, quod vocant, privatim recitandi uſum penitùs abrogaret? Quàm alienus tamen à tam pravo conſilio videri voluit, cùm in recitandis horis Canonicis diù, noctu, ſumma cum attentione non aſſiduus modò; ſed & ferè perpetuus ſemper fuerit? Ad eum igitur modum, inquiunt, forſan optimè ſentit Diſſertator de aſſumptæ Virginis gloriâ, quamvis aliam de ſe opinionem præ-

beat Dissertatione totâ & intempestivâ defensione Usuardi. Sed eò abreptum opinamur jnnato quodam adversùs receptas opiniones scribendi studio, & quæ sibi curiosiùs observata videbantur de Quignonio, de Paradino, de Becichemo, de aliis, in lucem edendi prurigine.

Ceterùm quia status quæstionis intelligi non potest, nisi quæ sunt extra controversiam semoveantur, hoc imprimis monitum velim Dissertatorem, nullam hîc à me litem moveri de plurimis rebus, quę vel mortem respiciunt beatissimæ Virginis, vel ejus è tumulo excitationem. Verbi gratiâ, quot annos Christo supervixerit: quo ætatis suæ anno sit mortua: an statim à morte in cælum sit assumpta: an post tres dies, an post plures. Quòd enim de his vix aliquid certi definiri possit, argumento est Auctorum

inter se discrepantia, quæ tanta est, ut eam monstruosam appellaverit Baronius. Ex quo tamen non sequatur illorum Auctorum rejicienda universim testimonia; quia licèt quo tempore mortua sit & assumpta beatissima Virgo, dissentiant; mortuam tamen esse & assumptam fatentur omnes.

Ex quo etiam videas, quàm malè passim Jolius inferat, *certitudinem Assumptionis beatæ Mariæ pendere ex certitudine epochæ ipsius mortis.* Quemadmodum enim de morte ejus non ambigitur, quamvis non constet quo tempore sit mortua; ita nec de ejus Assumptione dubitare licet, quamvis quo tempore sit assumpta, non omnino liqueat. Atque id rectè animadversum à Baronio, dum in hac quæstione distinguendum monet inter rem ipsam & ejus circumstantias; ac

Pag. 81.

rem

rem quidem ipſam certam eſſe, licèt de quibuſdam ejus circunſtantiis dubitetur. Quod & in aliis pleriſque narrationibus ac hiſtoriis uſu-venit, quibus, quanquam in ſe veriſſimis ac certiſſimis, aliquid tamen dubii atque etiam falſi admixtum cernimus.

Id præterea Diſſertatorem moneo, non hîc inter nos diſceptari, utrum ſit de fide Mariæ Virginis corpus in Cælum eſſe evectum. Equidem ſcio graves eſſe Theologos, qui ita ſentiant accuſentque hæreſeos, ſi quis id pervicaciter negaverit. Nec forſan adeò ſpernenda eorum argumenta, ut ab iis facili negocio extricare ſe poſſet. Ego verò lubentiùs aliorum ſententiæ accedo, qui id fide divinâ conſtare negant, quia nimirum nec Scripturâ ſacrâ nec tradito Dei verbo continetur, ac proin-

de revelatum non fuit.

Quid ergo? An aliqua restat certitudo quæ media sit inter humanam & divinam; hoc est, quæ infra certitudinem Fidei divinæ ita sit posita, ut tamen omni humanâ naturali sit major? Ita est; nec desunt exempla quibus id apertè demonstretur. An enim Fidelis quispiam negare audeat, quin Virgo Deipara exaltata sit supra Choros Angelorum ad cælestia Regna? quin sanctificata fuerit in utero materno? quin per totum vitæ tempus immunis extiterit ab omni peccato etiam veniali? Nemo certè hæc in dubium vocaverit, quia quamvis nec Scripturâ sacrâ nec tradito Dei verbo contineantur, universalis tamen Ecclesiæ consensu sic fulciuntur, ut temerarium sit & erroneum illis reluctari, si non hæreticum.

Pari jure Virginis corpus Cælo receptum esse contendo, idque omnino verum ac certum; ita tamen ut qui negaverit erroris quidem gravissimi, non tamen hæreseos sit reus; non hæreseos, quia id per se revelatum non fuit; erroris verò ejusque gravissimi, quia dum id negat, illud quoque evertit, quod divinâ fide certum est ac per se revelatum.

Hic ergo quæstionis status. Hæc summa Assertionis nostræ; cui eatenus adversatur Usuardi patronus, quod ipse cum Usuardo ne istam quidem certitudinem admittat dubitationi & errori oppositam. Negat enim asseverari debere Beatæ Virginis corpus in cælum esse translatum. quod cùm multis in locis docet, tum in Epistolâ Nuncupatoriâ his verbis. *Agitur, ut nostis, an Vsuardus ex Martyrolo-*

gio Parisiensi explodendus sit quia dormitionem *B. Mariæ Virginis nuncuparit & Assumptionem ejus in cælos corpoream* ab Ecclesiâ nesciri, *ideoque non debere asseverari protulerit.* Nos verò contrà id ita affirmamus, ut erroneum asseramus hoc ipsum negare certum.

Jam rem ipsam aggrediamur, atque eò securiùs, quòd non Ecclesiæ Parisiensis duntaxat, sed Ecclesiæ universæ, sed Catholicorum omnium, sed Dei ipsius causam agemus, *Qui sicut non dedit Sanctum suum videre corruptionem, id est Christum,* (Bernardini verba sunt) *sic nec Sanctam suam, de qua natus est sanctus; sed corpore & animâ in cælum assumpsit.* Si quid autem in tam justæ causæ defensione prætermissum fuerit, pios doctosque lectores, ut suppleant, rogo, tantumque favoris ac studii co-

natui noſtro exhibeant, quantus eorum in improbando Diſſertatoris conſilio zelus, quantaque indignatio fuit.

CAPUT TERTIUM.

Certum eſſe quod Eccleſiæ conſenſu fulcitur.

CUM Aſſertionis quam tuemur veritas duplici ratione conſtare poſſit; tum ſi refellantur quæ in contrarium ſcripſit Diſſertator; tum ſi ipſa per ſe veritas ſtabiliatur; erunt fortaſſe qui priorem potiſſimùm rationem amplectantur, ejus veſtigiis κατ' ἄνδρα inſtando. Nos verò, quanquam nec iſtud prætermittemus, in id tamen præſertim impendemus operam, ut communis Catholicorum de aſſumpto corpore Beatæ Virginis

sententia stabiliatur ; eò maximè quòd sunt permulti qui in legendis libris doceri amant ; non adeò solliciti, num in plerisque erraverit Auctor, qui refellendus suscipitur. Ut autem quam natura ipsa docet Methodus servetur (præcipit verò cujusque rei principia seu fundamenta imprimis poni) doctrinam Theologorum de certitudine consensus Ecclesiæ, tanquam operis reliqui fundamentum præmitto.

Constat apud Theologos, in iis quæ ad communem fidei ac religionis causam pertinent, illud esse certum quod nititur consensu Ecclesiæ ; hoc est, quod universim apud Catholicos probatur, quodque Ecclesia ipsis credendum proponit. Hujus autem doctrinæ certitudinem inde asserunt Theologi, quòd cùm Ecclesia sit *Columna & firma-*

1. Tim 3.

mentum veritatis; cùm eam Spiritus sanctus *doceat omnem veritatem*; cùm Christus se illi adfuturum *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi promiserit*; uno verbo, cum in iis quæ ad commune regimen fidelium spectant, peculiarem habeat nec unquam deficientem Spiritus sancti assistentiam; nunquam evenire potest, ut eos inducat in errorem, aut patiatur errorem aliquem universim eorum animis insidere. Si enim alterutrum eveniret, non jam id vitio verteretur Fidelibus, sed Ecclesia ipsa culpæ foret obnoxia; quæ nimirum illis errandi causa, vel saltem occasio extitisset.

Ioa. 16.

Matth 28.

Demus exempli causâ B. Virginem corpore in cælum non iviſſe; ac proinde errare Fideles qui id factum credunt; an non hic error imputandus Ecclesiæ, quæ per tot sæcula, (quod infra

ostendemus,) non modò consensit, ut Fideles ita crederent; sed etiam instituto Festo Assumptionis, composito in ejus celebrationem Officio, in quo sæpiùs corpore ad cælum evecta canitur, aliisque quamplurimis testimoniis illorum hac in re fidem probare se atque fovere testata est? Nemo certè, qui eâ in hypothesi Ecclesiam à culpâ vindicare possit. Unde & hæc sequerentur longè absurdissima; Ecclesiæ deesse promissam toties divini Spiritus opem; non habere unde communi fidelium regimini prospiciat; non esse *sine maculâ & rugâ*, quam nempe consensus in errorem ac superstitionem indignissimam maculet ac fœdet; denique non *sanctam*, quæ pro veritate mendacium spargi apud suos patiatur; si non illud potiùs suo consensu & approbatione spargere dicenda sit.

Quæ omnia cùm, ut jam dixi, abſurdiſſima ſint; rectè Petrus Aurelius, in causâ non abſimili, adverſarium ſuum premebat conſenſu Eccleſiæ, tanquam veritatis certiſſimo teſte ac vindice. *Diſce*, inquiebat, *non omnem propoſitionem erroneam Dei verbo ſeu ſcripturæ ſacræ contrariam eſſe. Quicquid enim conſenſui Eccleſiæ adverſatur ſemper erroneum, non ſemper hæreticum aut Dei verbo contrarium eſt, quia non omnis Eccleſiæ conſenſus certo Dei verbo ſcripturáque continetur, aut fidem prorſus Catholicam continet, etſi certitudinem habeat omni humanâ majorem, ideóque illi obſtrepere ſit erroneum.* Pag. 76. Edit. ann. 1642.

Ergo juxta Aurelium, rerum certarum duo ſunt genera. Quædam fidei divinæ certitudinem habent, quæ nempe certo Dei verbo ſcripturáque continentur. Aliæ ad iſtam quidem certitu-

dinem non ascendunt; quia tamen Ecclesiæ consensu fulciuntur, adeò sunt certæ, ut nulla res humana æquè sit certa, illisque obstrepere erroneum sit, si non hæreticum. Quin & idem Aurelius, ut suam hac in re doctrinam confirmet atque illustret, in exemplum affert hanc ipsam, quam propugnamus, de assumpto corpore Virginis assertionem. Sic enim ille.

Beatam Virginem Deiparam corpore simul & animâ in cœlum iviſſe veriſſima doctrina eſt, Ecclesiæ consensu fulta; non tamen omninò Catholica fides; nec qui eam neget, ut erroris reus, sic hæreseos erit, aut Dei verbo refragabitur, in quo ea de re nihil exstat. Multa sunt ejusmodi quæ nec apertè scripturis insunt, nec apertè ab Ecclesia definita fidei dogmata, quamvis fidelium consensu nitantur.

Neque verò est quod Dissertator reponat, nihil huc usque ab Ecclesiâ definitum esse de hac quæstione; nec eam fideles decreto aliquo adigere, ut Beatam Virginem corpore simul & animâ in cœlum evectam fuisse credant. Esto. Nullum ea de re decretum ediderit. An non sufficit, quòd se ita sentire plurimis ac manifestissimis testimoniis probat? An Ecclesiæ credi non debet, nisi cùm ad credendum adigit per decreta aut canones? *An erit*, (quod pronuntiat S. Augustinus) *insolentissimæ insaniæ dubitare, quin sequendum sit illud quod tota per orbem frequentat Ecclesia*, liberum autem erit à simplici quidem, sed tamen universali sensu Ecclesiæ recedere? An simplex usus Ecclesiæ, sed tamen universalis, sumi potiùs debet pro regulâ agendorum, quàm simplex sensus Ep. 118

Ecclesiæ, sed tamen universalis, pro regulâ credendorum ? An denique universalis ac perpetuus Ecclesiæ consensus erroneus fiet, nec erunt ampliùs istæ veritatis notæ Universitas, Antiquitas, Consensio ?

Non ita sanè sentiebat S. Augustinus, qui cùm inferre vellet sequendum id esse quod Ecclesia proponit, non ad ejus passim decreta confugiebat aut canones, sed ad traditionem, ad consuetudinem, ad morem. Consulantur quæ variis in locis tradit de *veritate scripturarum*; de *acceptatione librorum veteris & novi Testamenti*; de *Doctrinâ Purgatorii & utilitate orationum quæ fiunt pro mortuis*. In quibus omnibus (quæ non negasset Augustinus esse certa certitudine fidei divinæ,) ad traditionem, ad commendationem, ad consuetudinem Ecclesiæ recurrit.

In Confess. c. 7. Serm. 291 de temp. L. de Cur. pro mort. c. 1.

Neque verò aliter constare posset quod dixit contra duas epistolas Pelagianorum, *Paucas hæreses esse propter quas damnandas necessitas synodalis congregationis exstiterit, & incomparabiliter plures esse quæ ubi exstiterunt, illic improbari meruerunt.* Si enim pro vero ac certo haberi non debet quod ab Ecclesiâ proponitur absque decretis aut canonibus; Ecclesia verò non alibi decreta profert aut canones quàm ubi in synodis congregatur; quomodo stare potest quod dixit paucas hæreses esse propter quas damnandas necessitas synodalis congregationis exstiterit? Ergo ex mente tanti Doctoris, universalis Ecclesiæ consensus sufficit ad corrigendos hæreticorum errores, ac proinde consensus iste non potest esse erroneus. Quod ut in rebus fide credendis verissimum esse

L. 4. c. 12.

quivis fatebitur ; ita vim ſuam quoque habere in iis quæ Chriſtianæ pietatis ſunt , tutiſſimè aſſeverabimus.

Eum quoque S. Bernardi ſenſum fuiſſe intelliget, qui vel ſemel percurrerit ejus Epiſtolam ad Canonicos Lugdunenſes. Quid enim ibi ſæpiùs inculcat, quàm in iis quæ ab Eccleſiâ acceperit ſe omninò tutum eſſe atque ſecurum ? *Ego* , inquit, *quod ab Eccleſiâ accepi ſecurus & teneo & trado ; quod non , ſcrupuloſiùs fateor admiſerim.* Audierat Bernardus quoſdam è Lugdunenſibus Canonicis novam celebritatem inducere voluiſſe (de Conceptione ſanctæ Mariæ.) Quo autem nomine intercedit ne id fieret, niſi quia exiſtimabat celebritatem iſtam *nec probari ratione , nec antiquâ traditione commendari ?* Contra verò Nativitatis & Aſſumptionis Bea-

tæ Mariæ festos dies admittit. Quâ autem ratione, nisi quia se ab Ecclesiâ accepisse dicit *illos dies cum summâ veneratione esse colendos? Non*, inquit, *fallitur omnino sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, & omni anno cum exultatione universæ terræ votivâ celebritate suscipiens.* Idem anteà dixerat de Assumptione Mariæ Virginis. Ex quo luce clariùs innotescit, quæ consensu Ecclesiæ fulciuntur certissima Bernardo videri.

Nec alia mens fuit Thomæ Aquinati, & aliis qui eum secuti sunt è scholâ Theologis. Quod hoc uno exemplo demonstrare juvat. Nemo ex eis in dubium vocat propositionem illam quâ Augustinus, Benedictus, Bernardus asseruntur Sancti, cæloque, ubi cum Christo regnant, adscripti. Neque id solùm à Concilio Constantiensi credi- *Sess. 8.*

tum est, in quo damnatus fuit error Wicleffi sanctitatem illorum in dubium vocantis; sed & anteà multò. Quod aliunde receptum esse communi Doctorum sensu non potuit, nisi quoniam idem erat sensus Ecclesiæ universæ, quæ in iis quæ ad divinum cultum & religionem pertinent, errare non potest.

Rem quidem istam aliter atque aliter explicavere Theologi, è quibus non defuerunt qui id fide divinâ credendum esse existimaverint; quòd nempe fidei divinæ materiam & argumentum arbitrentur id omne quod, certum cùm sit, naturali notitiâ superius est. Audiendus verò Doctor Angelicus, qui, ut solet, rem istam accuratiùs exponet. *Quia honor quem sanctis exhibemus quædam fidei professio est, quâ sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quod*

Quodlib. 9. art. 16.

nec

nec etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſit.

Ut ergo in ejus ſententiâ non aſcendet ad divinæ fidei-faſtigium, credere Sanctorum in numero eſſe quemcumque communis Eccleſiæ pietas veneratur ut Sanctum colendumque proponit; ita nec deſcendet ad infima, ut opinionem arbitretur eſſe, quæ utramque in partem fluctuare poſſit.

At, inquis, *piè credendum*, id docet, quo firmitatem omnem ac certitudinem excludere videtur. Non eſt mens iſta Doctoris ſanctiſſimi. Lege enim quæ addit. *Ad primum ergo dicendum quòd Pontifex, cujus eſt canonizare Sanctos, poteſt certificari de ſtatu alicujus per inquiſitionem vitæ & miraculorum, & præcipuè per inſtinctum Spiritus ſancti, qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.*

Certè si instinctus est Spiritus sancti in Ecclesiâ, metuendum non est ne ipsa erret aut dubitet in Cœlitum cultu; cùm Spiritus sanctus sit Spiritus veritatis, neque possit non esse verum quod eo inspirante innotuerit. Quapropter cum idem Angelicus Doctor laudato loco scribit, *Canonizationem sanctorum medium esse inter duo, scilicet, inter judicium infallibile de rebus fidei & judicium fallibile in causis criminalibus*, negat solùm judicium istud attingere certitudinem fidei divinæ; certum esse non negat. Addit enim sanctissimus Doctor, *Divinam providentiam præservare Ecclesiam ne in talibus* (id est Canonizatione sanctorum) *per fallabile hominum judicium fallatur.*

Sed quid diutiùs moror in hac Theologorum asserendâ doctrinâ, cujus veritatem clariſ-

simè omnium adstruunt Concilii Tridentini Patres ? Quo enim momento , quave auctoritate adducti , Virginem Deiparam ab omni peccato etiam veniali , immunem vixisse pronuntiarunt ? Ipsos audi sessione sextâ de justificatione canone vigesimo tertio. *Si quis semel justificatum dixerit amplius peccare non posse , neque gratiam amittere , atque ideò eum qui labitur & peccat , nunquam verè fuisse justificatum , aut contrà , posse in totâ vitâ peccata omnia etiam venialia , vitare , nisi ex speciali Dei privilegio , quemadmodum de beatâ Virgine tenet Ecclesia , Anathema sit.*

Scilicet , Concilii Tridentini Patribus id satis fuit , ut Beatam Virginem absque peccato veniali vixisse pronuntiarent , quòd *id ab Ecclesiâ teneretur.* Unde autem ab Ecclesiâ teneri nove-

rant, nisi ex universali Catholicorum sensu? Non enim decretum aliquod proferunt aut canonem, quo id se tenere Ecclesiâ declaraverit.

Itaque certa est illa & fidelibus omnibus ingenita persuasio, Ecclesiam non solùm non posse fallere cùm res aliquas cum auctoritate proponit; sed neque falli dum eas ipsa credit. Ita-ut firmum ac stabile manere debeat, quodcumque Ecclesiæ consensu fulcitur esse verum ac certum. Jam si certum est nec per se constat fide divinâ, quid erit illud evertere velle, nisi in manifestum errorem incurrere? In errorem autem duplici modo impingi potest. Alter est, si quis negaverit propositionem non revelatam per se, sed è propositionibus revelatis ratiocinando elicitam. Exempli causâ. Neget aliquis

Christum esse risivum ; is, fatente omni Theologiâ, erroris reus erit, quia fides docet Christum esse hominem, unde necessariò conficitur esse quoque risivum. Alter, si negatâ propositione aliam evertat quæ tradita sit divino verbo sive scripto sive non scripto. Sit exemplum. Hactenus Fidelibus certò persuasum fuit sanctum esse Quadragesimale jejunium. Hoc si quis neget, in errorem gravissimum incurret, quia negabit sanctam esse Ecclesiam; negabit eamdem regi divino Spiritu; quæ duo tamen Deo revelante tradita sunt.

Etsi verò qui negat assumptam esse Virginem animâ & corpore prioris generis errore non implicatur ; à posteriori tamen explicare se non poterit, si demonstratum fuerit (uti mox demonstrabimus,) eum Ecclesiæ communem sensum esse ac semper

fuisse. Hinc enim sequetur ab eo convelli auctoritatem Ecclesiæ quæ variis Scripturæ sacræ locis commendatur, quamque fideles omnes agnoscere tenentur.

His porro ita constitutis, laborioſum magis quàm difficile erit quicquid operis restat superstruere. Cùm enim hoc unum pro jure suo exigere possit Usuardi patronus, ut fidem faciam perpetui consensus Ecclesiæ circa Mariæ Virginis Assumptionem; is verò consensus aliter probari non possit quàm eundo per singula sæcula, investigandoque quid in unoquoque apud Catholicos receptum fuerit; quis non videt in eo quidem laboris aliquid, difficultatis autem nihil aut parum reperiri? Ut ut est, aggrediendum demonstrandumque traditionem hanc ab exordio Ecclesiæ ad hæc usque

tempora firmissimam perseverasse, quòd Beatissima Virgo post mortem surrexit à tumulo, nec animâ solùm, sed & corpore in cælum evecta fuit. Id autem quâ ratione demonstrandum? Ex Actis seu monumentis Ecclesiæ vetustissimis; ex Sanctorum Patrum aliorumque Scriptorum per singulas ætates testimoniis; ac demum ex ratione ipsâ è Scripturæ sacræ verbis erutâ. Quod ubi præstitero, ac intereà etiam obiter dum præsto, rationibus & argumentis à Dissertatore propositis tum in rem ipsam tum adversùs Baronium respondebo.

CAPUT QUARTUM.

Assumptionem Mariæ Virginis probant Acta seu monumenta Ecclesiæ vetera.

HAUD equidem dubito quin Sanctorum Patrum sententiæ Actis seu monimentis Ecclesiæ aliquo sensu accenseri possint. Propriè tamen loquendo Acta Ecclesiæ vocari debent quæ Ecclesiæ cujusque ritibus dirigendis inserviant. Exemplo sint Martyrologia, quorum hic potissimùm usus, ut dum leguntur in Templis, Fideles intelligant cujus sancti Festus dies agatur. Hac igitur distinctione constitutâ; de Martyrologiis, Calendariis, Ordine Romano, Sacramentario sancti Gregorij, & Officio Ecclesiastico die Assumptionis

ſumptionis agemus hoc capite. De Sanctorum Patrum aliorumque Scriptorum teſtimoniis ſive ante, ſive poſt Uſuardum proximè ſequentibus. Ante omnia autem de nomine ipſo, quod ex omni rectè inſtitutâ methodo ceteris probationibus præmitti debet.

Articulus Primus.

De Nomine Aſſumptionis.

Notum eſt quod de voce *Catholica* obſervavit S. Auguſtinus: ex ea ſola ſcilicet dignoſci poſſe veram Eccleſiam ab aliis aut hæreticis aut ſchiſmaticis: quâ notâ, ut aliis quibuſdam, teneri ſe ajebat in Eccleſia Catholica. *Tenet*, inquit, *poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia* (*Contra Epiſt. fundam. c. 4.*)

sola obtinuit, ut cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere.

Consimili modo dicere ausim, non ei longâ disquisitione opus fore, qui quam in ipso nomine *Assumptionis* præscriptam habemus sentiendi credendique legem, semel perceperit. Sanè quisquis rectè perpenderit, Ecclesiam Romanam Assumptionis nomen ferè semper usurpasse, cùm de morte Mariæ Virginis sermonem habuit; nec aliàs unquam usurpasse; nullo negotio colliget peculiare aliquid in ejus morte obtigisse, quod in aliis non obtigerit; videlicet è tumulo corpus ejus redivivum. Cur enim, quæso, Ecclesia Romana cùm de Sanctis loquitur, quorum animæ cælo adscriptæ

sunt, corporibus in terrâ resurrectionem etiamnum expectantibus, mortem eorum appellat vel *natalem* vel *dormitionem* vel *transitum ?* cùm verò de morte Virginis Deiparæ mentionem facit, *Assumptionis* nomine eam indigitat; nec unquam, quod iterum moneo, eo nomine aliorum mortem designat. Nulla certè alia causa subesse potest, nisi quòd cùm Ecclesia unam Virginem Mariam corpore ut animâ in cælum evectam fuisse semper agnoverit, eo uti nomine voluit, quod singulare ipsius donum ac privilegium denotaret. Assumi enim illæ res vulgò dicuntur, quæ mole aliquâ sive corpore constant unde assumantur, idque non suâ, sed alienâ virtute. Hinc apud Matthæum dicitur Diabolus assumpsisse Christum, primò *in sanctam civitatem*, deinde *in mon-* Cap. 4.

tem excelsum valde.

Quamquam autem cuivis minimè contentioso satis perspectum est, non alio sensu Assumptionis nomen ab Ecclesia usurpari quàm ut corporis evectionem significet, ut id tamen planiùs ac liquidiùs fiat, observari velim Festum Ascensionis Domini apud Græcos dici Salvatoris Assumptionem, τοῦ σωτῆρος ἀνάληψιν. Quod quidem nomen ex Sacra Scriptura mutuati sunt, quæ loquendi genus istud usurpavit, ut expressiùs significaret Christum, ut-pote verum hominem, veroque indutum, non phantastico corpore, cum ipso simul & animâ evectum esse ad cælos, divinâ quæ ipsi inerat virtute. Marci ultimo, vers. 19. *Et Dominus quidem Iesus, postquàm locutus est eis, assumptus est in cælum.* ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν. Lucæ IX. 51. *Factum est autem*

dum complerentur dies Aſſumptionis ejus. ἐγένετο δὲ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ. Actorum 1. verſ. 2. ij. & 22. Item 1. Timoth. 3. verſ. 16. eodem loquendi genere utitur Scriptura.

Paſſim videre eſt eam feſti appellationem apud omnes Græcos, etiam recentiores, ut apud Manuelem Comnenum in Novellâ Conſtitutione relatâ à Theodoro Balſamone. Sed, quod ad rem maximè facit, Sanctus Chryſoſtomus in Acta Apoſtolorum vim iſtius vocis eruditè exponit, Homilia 1. verba hæc exponens. *Præcipiens aſſumptus eſt. Non dixit,* inquit, *aſcendit, nam adhuc tanquam de homine loquitur.* οὐκ εἶπεν, ἀνέβη, ἐπειδὴ ἔτι ὡς περὶ ἀνθρώπου διαλέγεται. Et Homil. 2. in hæc verba. *Quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Non dictum eſt*, inquit,

quem vidistis assumptum, sed euntem in cælum; nimirum ut intelligas hanc Assumptionem esse Ascensionem. Carnis enim est assumi. οὐκ εἶπεν, ὃν ἐθεάσασθε ἀναληφθέντα, ἀλλὰ πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν· δηλῶν ὅτι ἀνάβασις ἦν ἡ ἀνάληψις. σαρκὸς γὰρ τὸ ἀναληφθῆναι ἴδιον.

Homiliâ primâ sic quoque loquitur. *Posteaquam dixit eum assumptum, ne putares illum ab aliis assumptum esse, adjecit; Quibus præbuit seipsum vivum. Etenim si semetipsum exhibuit in re majore, multò magis in minore. Vides quomodo latenter aspergit magna hæc dogmata.* Ἐπειδὴ γὰρ εἶπεν, ὅλη ἀνελήφθη, ἵνα μὴ νομίζεις ὑφ' ἑτέρων αὐτὸν ἀνειλῆφθαι, ἐπήγαγε, οἷς καὶ παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα. Εἰ γὰρ ἐν τῷ μείζονι ἑαυτὸν παρέστησε, πολλῷ μᾶλλον ἐν τῷ ἐλάττονι. Εἶδες πῶς λανθανόντως σπείρει τὰ μεγάλα ταῦτα δόγματα.

Ex quibus Chrysostomi ver-

bis clariſſimè conficitur, Chriſtum dici in cælum aſſumptum propter corpus ſive carnem quæ in cælum aſſumpta eſt, cùm aliam ob rationem dicatur quoque aſcendiſſe, quia nempe propriâ virtute, hoc eſt divinâ, penetravit cælos. *Non enim ignis*, inquit idem Chryſoſtomus, *non currus igneus, quemadmodum in Helia factum eſt; ſed nubes eum ſuſcepit; his verbis declarans ipſum eſſe Regem cælorum.*

S. Auguſtinus Sermone de Aſcenſione. *De noſtro fuit quod Filius Dei pependit in Cruce, ſed de ſuo quod aſcendit.*

Gregorius Magnus in Homilia Aſcenſionis. *Notandum eſt quod Helias in curru legitur aſcendiſſe, ut videlicet apertè demonſtraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno. Redemptor autem noſter non curru, non Angelis ſublevatus legitur, quia qui fecerat*

omnia, super omnia suâ virtutè ferebatur.

Hinc ergo Ecclesia Latina nomen Ascensionis Christi festo; Assumptionis verò Beatæ Virginis solemnitati tribuit; quoniam etsi uterque sit in cælo, tamen ille propriâ virtute; hæc autem Dei virtute illuc pervenit. Ita-ut nominis utriusque discrimen non impediat quò minus res eadem alterutro significetur, nempe corporis evectio, sed quæ diversâ ratione contigerit in Christo & Virgine. Quod ut Ecclesia ipsa manifestum redderet, iisdem verbis usa est in exprimendâ migratione Virginis in cælum, quibus utitur Scriptura Sacra cùm de reditu Christi in cælum loquitur. Nam ut apud Marcum & Lucam de Christo dicitur, *assumptus est Iesus in cælum*; ita Ecclesia de Virgine canit, *As-*

ſumpta eſt Maria in cælum: gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Quapropter quoties Aſſumptionis nomen legeris apud Scriptores Eccleſiaſticos, cave alio ſenſu ab eis accipi putes quàm quo ab Eccleſiâ ipsâ accipi noverant, ut nempe Virginem animâ & corpore in cælum iviſſe prædicet. Quod vel uno Gregorii Magni Sacramentario abundè confirmatur, in quo dubium non eſt quin Aſſumptionis nomen, quod ibi ter uſurpatur, corpus Virginis cælo receptum ſignificet: quandoquidem eodem loci diſertis verbis pronuntiat Gregorius Virginem Deiparam non potuiſſe mortis nexibus deprimi; id eſt, non potuiſſe ejus corpus tumulo detineri, ut infrà oſtendemus.

Denique tam certum eſt Aſſumptionis nomen nuſquam alio

sensu ab Ecclesiâ usurpatum esse, ut plerisque in locis id diffiteri non potuerit Dissertator ipse, cujus tamen maximè intererat id non esse certum, cùm alioquin Dissertationis ejus machinam vel in ipso limine disrumpi ac dissilire necesse sit.

Pag. 26. *Quamvis*, inquit, *Assumptionis Verbum, Assumptionem quoque animæ absque corpore designare possit, nihilominus Assumptionem corpoream clariùs exprimit.* Si nomen istud clariùs exprimit Assumptionem corpoream, (ut ejus verbis utar) ergo quoties idem nomen nudè ac sine ullâ interpretatione legitur, eo sensu accipi debet quem clariùs exprimit. Cur enim recurreres ad alium sensum quem minùs clarè exprimit, quique adeò minùs in usu? Si tamen alium sensum habet in Ecclesiâ, quod constanter nego.

Addit quidem eodem loci, *etiam per istud Verbum* Assumptio, *mortem duntaxat seu migrationem ex hac vitâ designari.* Sed quid hinc colligas, nisi ipsum pugnantia secum loqui? quod ei solemne esse jam monuimus. Unde enim probat Assumptionis nomine migrationem duntaxat ex hac vitâ designari? Exemplis aliquot, tum ex Eusebio & Gregorio Turonensi; tum ex Martyrologio B. Hieronymi & Lectionibus Breviarii Parisiensis die 17. Junii. Sed quàm facilis responsio. Scripserit enim Eusebius *Constantinum ad Deum suum assumptum esse.* πρὸς τὸν αὐτοῦ Θεὸν ἀνελαμβάνετο. L. 4. cap. 64. Scripserit etiam Gregorius Turonensis; cujus verba excerpsit Auctor Lectionum Breviarij, cui proinde eadem responsione fiet satis; *assumptum esse S. Avitum Abbatem Carnoteni pagi.* An hoc est ali- Lib. de Glor. Confess. c. 99.

cujus momenti? Quis nescit Scriptores Christianos, maximè verò Oratores & Historicos, voces non eo semper usurpare sensu quo usurpat Ecclesia? Pari igitur cavillatione probaret Dissertator *Transitus* & *Dormitionis* nominibus Sanctorum mortem in Martyrologiis non intelligi, quoniam apud Scriptores plurimos alia est earum vocum significatio. At quàm parùm sincerè id tentaret, nemo non videt, cùm unica semper in Ecclesiâ fuerit, eaque perpetua & constans, istiusmodi locutionis notio. Hîc autem de usu loquendi Ecclesiæ solùm controversia est.

In Martyrologio B. Hieronymi habentur quidem hæc verba. VI. Calend. Ianuar. *Assumptio S. Ioannis Evangelistæ apud Ephesum.* Sed his verbis non ejus duntaxat animæ migratio in cælum significatur, cùm Joannem E-

vangeliſtam corpore etiam aſſumptum eſſe plurimis olim perſuaſum fuerit, quemadmodum graviſſimi teſtantur Auctores. Immo hinc ſententiæ noſtræ veritas invictiſſimè ſtabilitur, quòd cùm bis tantùm uſurpetur Aſſumptionis vox in illo Hieronymi Martyrologio, ſemel cùm de Virgine, iterum cùm de Ioanne agitur, utrobique tamen corporis evectionem ſignificet: cui ſignificationi ſingulari quadam Eccleſiæ, Sacræ Scripturæ veſtigiis inhærentis, deſignatione fuit veluti conſecrata.

At, inquit Uſuardi Patronus, Eccleſia utitur etiam *Dormitionis* voce, cùm de morte Mariæ Virginis agit. Præclarè quidem, & ad docendos Fideles quid in hac quæſtione ſentire debeant conſultiſſimè. Nam cùm controverſia duplex mota fuerit; prior an Beatiſſima Virgo mor-

tem ſubierit, (quod negabant Collyridiani) altera, an corpore & animâ in cælum iverit, (de quo pauci videntur dubitaſſe) utramque controverſiam ſuſtulit Eccleſia ; iſtam Dormitionis voce, quâ Mariam Virginem ex hac vitâ migraſſe intelligitur ; hanc Aſſumptionis vocabulo, quo eamdem corpore in cælum evectam eſſe docetur.

Eſt & alia ratio propter quam Eccleſia *Dormitionis*, *Quietis*, *Pauſationis*, *Depoſitionis* nomina uſurpaverit aliquando : nempe quia diverſis diebus feſtum mortis & Aſſumptionis ſanctæ Mariæ celebrari ſolebat. Quod manifeſtè colligitur ex probatiſſimis Codicibus laudati Martyrologii, de quo mox agemus. Nam ut in eo leguntur hæc verba. *XV. Cal. Februarii Depoſitio ſanctæ ac glorioſæ Beatæ Mariæ Matris Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Ita & hæc alia. *XVIII. Kalend. Septembris. Aſſumptio ſanctæ Mariæ Matris Domini noſtri.* Quæ procul dubio diverſos dies aſſignatos celebrandæ morti & Aſſumptioni Mariæ Virginis apertè ſignificant.

Itaque *Dormitionis* vocabulum per ſe ſumptum opinioni de aſſumpto corpore Virginis minimè obeſt. Nec enim qui illo uſi ſunt, aliter acceperunt quàm pro brevi ſomno, è quo paulò pòſt Mater Domini evigilaverit. Idque auctoritate Græcorum Patrum maximè comprobatur, qui cùm Deiparam Virginem corpore in cælum tranſlatam apertiſſimè doceant, fatente etiam adverſario, κοιμήσεως, id eſt Dormitionis nomen nihilominus uſurparunt. Eo verò uſi ſunt tum alias ob cauſas, tum ut vel ipſo nomine à Collyridianorum errore diſcederent.

Quamobrem non est quod speret Adversarius, huic argumento quod ex nomine Assumptionis ducimus se responsione ullâ facturum satis, nisi plurimis exemplis fidem fecerit hoc ipsum nomen promiscuè ab Ecclesiâ usurpatum in Sanctorum morte designandâ. Quod ut hactenus non præstitit, ita nec deinceps præstiturum, asseverare non dubitem, proindeque sic adversùs illum argumentari licet.

Assumptionis nomen antiquissimum est in Ecclesiâ, nec dubitari debet quin sub ipsa Apostolorum tempora in usu jam fuerit. Nam præterquam quòd respondet Græco verbo Scripturæ Sacræ ἀναλαμβάνεσθαι, habetur in Martyrologio B. Hieronymi, quod saltem initio quinti sæculi vulgatum nemo ambigit. Unde probabile fit, immo

plane

planè certum, multò quoque anteà in usu fuisse: quandoquidem Martyrologia, ut alii ejusmodi Rituales libri, sic edi solent, ut antecedentium nomina Rituque retineant.

Jam verò non alio unquam sensu Assumptionis nomen ab Ecclesiâ usurpatum fuisse, quàm ut corporis & animæ evectionem significaret, hîc fusè demonstravimus; neque enim eo unquam usa est in Sanctorum morte designandâ, quorum animæ dumtaxat cælo receptæ sunt. Quid igitur obstet quo minùs fidentissimè asseveremus, vel uno Assumptionis nomine manifestum fieri, quòd Ecclesiæ perpetuus ac constans sensus hic fuit, Virginem Deiparam non animâ solùm, sed etiam corpore in cælum fuisse translatam.

Articulus Secundus.

De Martyrologiis.

Inter monimenta antiquitatis unde argumenta capimus, quin primas partes sibi vindicent Martyrologia, non negabit, opinor, Adversarius. Unde enim certiùs deprehendamus quis olim fuerit sensus Ecclesiæ de Assumptione Virginis Deiparæ, quàm ex Martyrologiis? Per quæ nimirum innotescit, quid quoque sæculo, ac pæne dicam, quid per singulos dies à Fidelibus populis circa Sanctorum cultum receptum sit atque agnitum. Scilicet, (quod omnes norunt) sedula semper ac pia sollicitudo fuit veterum Christianorum, in asservandâ memoriâ Sanctorum, ac Martyrum præsertim, qui pro Christi

causâ morti se devoverant. Annotabant diligenter, & genus Passionis, & tempus quo passi fuerant, locum etiam ac judicem; eique muneri certos homines præficiebant, ne quid posterorum cognitioni subtraheretur.

An autem tribus primis sæculis extiterint propriè dicta Martyrologia, quod à plerisque negari video, ad rem de quâ agimus non attinet. Sufficit enim quòd ex Tertulliano & Cypriano constet, nobiliores quasque Ecclesias suos semper habuisse fastos seu Calendaria, in quibus, tum Episcoporum suorum nomina, tum Martyrum, aliorumque Sanctorum qui ibi decessérant, festos dies consignarent. Ex iis autem quæ per diversa tempora diversisque ab Ecclesiis consignata fuerant his in fastis, edita sunt subinde Marty-

rologia, ad uſum, non jam unius dumtaxat, ſed omnium Eccleſiarum. Unde & hoc ſequitur, Martyrologiorum antiquitatem, non ab illo ſolùm tempore computandam, quo primùm evulgata ſunt; ſed à primis Eccleſiæ temporibus repetendam; quia nempe privata Calendaria ex quibus coaluere, jam tum edi cœperunt. Jam igitur de ſingulis Martyrologiis huc pertinentibus agamus.

MARTYROLOGIVM B. Hieronymi.

IN hoc cenſu Martyrologiorum, occurrit præ ceteris, ac quodammodo ad ſe rapit Martyrologium vetuſtiſſimum, B. Hieronymi nomine inſcriptum, quod publici juris nuper fecit vir

doctissimus ac religiosissimus Lucas Dacherius. Auctor ejus, si fides Cassiodoro & Bedæ, Eusebius Cæsarienſis; interpres, B. Hieronymus. Quamquam autem, ne isto quidem nomine tribuendum Hieronymo permulti ex doctis existimant, vetustissimum tamen esse, ac sub ipsa editum Hieronymi tempora, Henricus Valesius Ecclesiasticæ antiquitatis scientissimus, Dacherius, Florentinius, alii, non repugnante etiam Usuardi Apologista, profitentur. Addit Valesius, (quod multis argumentis probat) illud ipsum Martyrologium esse, de quo scribit Gregorius Magnus in Epistolâ ad Eulogium Alexandrinum Episcopum; quo quidem nihil ad ejus commendationem dici possit præstantius. Habuerit ne olim Ecclesia Romana peculiare Martyrologium, hîc nondis-

puto. Nam si non habuit, hinc major auctoritas Martyrologii de quo agimus; quod fuisse commune tum Ecclesiæ Romanæ, tum aliis per universum orbem Ecclesiis, contendit idem Valesius.

Jam igitur inspiciendum, num in hoc tantæ antiquitatis, tantæ auctoritatis Martyrologio, aliquid exstet, unde constare possit Assumptionem Beatissimæ Virginis, qualem tuemur, semper receptam esse in Ecclesiâ. Semper dico, quia licèt hoc Martyrologium sub ipsa dumtaxat Hieronymi tempora editum fuerit, ineunte quinto sæculo, ex præcedentibus tamen Calendariis longè antiquioribus originem duxisse jure, ut puto, propugnabimus. Quid verò ad id probandum aut efficacius aut validius his verbis?

XVIII. Kalend. Septembris.

In Nicomedia, Natalis Sanctorum Stratonis, Philippi & Euticiani, *& Aßumptio ſanctæ Mariæ Matris Domini noſtri.*

Sentit quidem Diſſertator, ſe tam vetuſti Martyrologii auctoritate premi; quare, adversùs laudatum ex eo teſtimonium nonnulla proponit; ſed timidè ac verecundè; ut intelligas, nolle ipſum ſibi fidem haberi, aut ſaltem id deſperare. Quid ergo in illo reprehendit? Hoc præſertim, tranſpoſitionem verborum. Quòd nempe hæc verba, *Aßumptio ſanctæ Mariæ Matris Domini noſtri*, quæ temporis & dignitatis merito *in capite hujus diei collocari debebant, ad calcem amandata fuerint.* Grande ſcilicet piaculum. Quid ſi fortè librariorum incuriâ factum id fuit; Pag. 69.

cùm in Martyrologio Bedæ, quod magnam partem ex hoc desumptum est, verba eadem illo sint ordine disposita, quem Dissertator optat. Quid si ne in hoc quidem omnino peccatum? Cum iste temporis & dignitatis ordo semper servatus non fuerit? Ac ne procul exempla quæritem; in hoc ipso Martyrologio B. Hieronymi, de Jesu Christo Simeoni oblato per Mariam & Josephum, postremo loco refertur. His verbis,

Non. Janu. in Africa, Felicis, Secundi, Honori, Luciani, Candidi, Januarii, Cœlesfori, Jocundi, Acuti, Petri, Marci, Sereni, Senni, Anastasiæ. Hierosolymæ *Simeonis Prophetæ, cùm obtulit ei Dominum Iesum Christum Maria & Ioseph; & depositio ipsius Prophetæ.*

Pergit tamen, & ex illâ verborum transpositione alterum horum

horum sequi contendit, aut *Assumptionem B. Virginis huic diei postea additam, veluti plura alia diversis temporibus pro libitu fuisse adjecta fatetur ipse Dacherius;* aut *Assumptionis Festum nondum pro solemni habitum fuisse.* Pag. 69.

Si licet ita conjicere seu potiùs divinare, nullâ conjecturæ additâ causâ; nullum quàmlibet probatum antiquitatis monumentum, cui fidem non detrahas: ego pariter, immo potiori jure conjiciam, Martyrologio Usuardi adjectum esse commentarium, quo negat Ecclesiam scire ubi sit occultatum corpus Virginis Deiparæ; conjecturæque meæ hanc causam afferam, quòd ante Usuardum nemo ex probatis auctoribus Assumptionem Beatæ Virginis negaverit, nec de eâ dubitaverit quidem, nisi deceptus Pseudohieronymi libello, id est sermone

illo qui S. Hieronymi titulo ad *Paulam & Euſtochium* de Aſſumptione circumfertur ; de quo nobis frequens erit mentio.

Quæ verò adjiciuntur Martyrologiis duplicis ſunt generis. Alia rectè ac neceſſariò adjiciuntur , quòd nempe Sanctorum numerus creſcat in dies ; ac de illis adjectionibus loquitur Dacherius. Alia perperam ac præter ordinem ; quod pluribus modis contingere poteſt. Doceat ergo Diſſertator hæc verba , *& Aſſumptio ſanctæ Mariæ Matris Domini noſtri* , quæ tantum ipſi negotium faceſſunt , Martyrologio B. Hieronymi præter ordinem adjecta, ac de illorum eſſe genere quæ Græci παρεμβολὰς vocant.

Verùm ut eum labore iſto liberem ſimulque admoneam ne deinceps conjecturis ſuis plus æquo indulgeat, inſigne hac in

ipsâ causâ exemplum affero. Prodiit nuper in Italiâ, anno scilicet 1668. Martyrologii de quo agimus exemplar locupletissimum à Francisco Maria Florentinio nobili Lucensi ex pluribus probatæ fidei Codicibus editum. Inscribitur ab eo: *Vetustius Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium D. Hieronymo à Cassiodoro, Beda, Vualfrido, Notkero, aliisque Scriptoribus tributum. Quod nuncupandum esse Romanum, à magno Gregorio descriptum, ab Adone laudatum, proximioribus sæculis præteritum & expetitum, non leviora argumenta suadent.*

Hoc autem opus quâ notis quâ exercitationibus idem Florentinius sic explicavit, ut non immeritò inscriptionem quam præfert, ipsi datam judicare possis. Plura non dicam ad commendationem operis Dissertatori non ignoti. Quod verò ad

causam nostram attinet, in hoc ipso Martyrologio leguntur eadem verba quæ in Martyrologio à Dacherio edito, sed sine verborum transpositione quam unam objiciebat Jolius. Ecce tibi ipsissima verba,

XVIII. Kal. Septembris.

Assumptio Sanctæ Mariæ. In Nicomedia natalis Sanctorum Stratonis, Philippi, Euticiani cum sociis.

Cùm igitur inde constet, verborum transpositionem nullam factam in Martyrologio B. Hieronymi (cur enim non potissimùm habeatur fides exemplari Florentinii, quod ipse ex pluribus probatæ fidei Codicibus editum affirmat?) Quid jam restat, nisi ut det manus Dissertator, fateaturque hoc uno Martyrologio stare antiquam traditionem

quam propugnamus, nec ampliùs Uſuardum audiat, qui hoc ab Eccleſiâ neſciri auſus eſt aſſerere, quod quingentis ferè ante ipſum natum annis tanquam certum & exploratum agnoſcebat?

MARTYROLOGIVM Bedæ & aliorum.

MAXIMAM ineſſe auctoritatem huic Martyrologio, cùm ceteri Auctores, tum Uſuardus ipſe potiſſimùm agnoſcit. Nam in Præfatione ad Carolum Auguſtum profitetur ſe ad ſcribendum *permotum venerabilium Hieronymi ac Bedæ Presbyterorum, piis quamvis ſuccinctis deſcriptis*, quod de Martyrologiis Hieronymi ac Bedæ intelligendum. Deinde verò commendatur hoc Martyrologium Bedæ ab antiquitate ſuprà Mar-

tyrologium Usuardi, cùm venerabilis Beda maximam vitæ partem exegerit septimo sæculo; Usuardus autem nono tantùm vixerit, eoque jam exeunte; sed hæc ubi de Usuardo.

Quid igitur in hoc Martyrologio Bedæ? Id ipsum quod in laudato Hieronymi Martyrologio, quod proculdubio secutus est Beda. Immo aliquid ampliùs, cùm in eo fiat mentio Vigiliæ Assumptionis; unde obiter antiquitatem Festi colligere queas.

XIX. Calend. Septemb.

Natale sancti Eusebii Presbyteri & Confessoris, &c. *Et Vigilia Assumptionis Mariæ Virginis.*

XVIII. Calend. Septemb.

Assumptio sanctæ Dei genetricis

& perpetuæ Virginis Mariæ, &c. In Nicomedia ſanctorum Stratonis, Philippi & Euticiani cum eorum ſociis.

Mirum in modum ſe torquet Jolius, ut hujus Martyrologii fidem elevet, quod ſuæ cauſæ plurimum obeſſe videt. Modò ait *Vigiliam* ipſi poſteà fuiſſe ſuperadditam, & nomen ipſum *Aſſumptionis* ſuperadditum. Modò dat hoc nomen ab ipſo Bedâ ſcriptum, idemque ſignificare vult ac nomen Dormitionis. Tandem verò ita concludit: *Vſuardus autem ſe Bedam ſecutum eſſe declarat, & ſi quid auxerit vel immutarit, ſagaci indagine id perquiſitum feciſſe.* Pag. 57. Hîc hæres, Lector, & hæc poſtrema verba, *id perquiſitum feciſſe*, an rectè Latinèque ſcripta ſint rogas. Sed ne hæreamus in verbis; eſſet enim labor infinitus, cùm ubique appareat quàm indignam ſuo ingenio ſermonis

expoliendi curam Dissertator existimaverit.

Ad rem igitur. Nego *Vigiliam* superadditam esse Bedæ Martyrologio, cùm festum Assumptionis ante Bedæ tempora institutum posteà demonstraturi simus. Nego pariter *Assumptionis* nomen superadditum, cùm id nullo argumento evincat Dissertator, nec temerè suis ipsemet conjecturis fidere debeat. Quòd enim laudat librum Bedæ *de locis sanctis* ubi habetur, *nesciri à quo vel quando ablata sit Maria ab Ecclesiâ quadam Vallis Iosaphat, ubi sepulta fertur,* parum sincerè ab eo factum, cùm librum de locis sanctis non esse Bedæ constet apud eruditos; quippe qui pedem nunquam extra Angliam tulerit. Cur ergo nomen ejus præfert? Ideò solùm quia ex alio libro de locis sanctis ab Arculpho scripto di-

Pag. 56.

ctante Adamanno per ipsum Bedam excerptus est, quem propterea non rectè inferas illa probare quæ in Archulphi libro habentur, cujus se tantùm exscriptorem exhibuerit. Idem esto judicium de Manuscripto Codice Bedæ S. Germani Parisiensis, cùm ex libro de locis sanctis vero similiter sit excerptus. Quid autem plura? Nonne verba quæ suprà adduximus ex Martyrologio Bedæ, ejus sententiam apertè produnt? Nam germana ejus esse, nec à quoquam superaddita hinc satis constat, quòd cum verbis Martyrologii Beati Hieronymi consentiant.

Martyrologium Flori, quod & ipsum antiquissimum est, quin eadem habeat quæ Martyrologium Bedæ, nemo dubitare possit; cùm in id duntaxat studium contulerit Florus, ut quæ deerant in Martyrologio Bedæ sup-

pleret, dieſque vacuos impleret. Vixit Florus octavo ſæculo, centum annis ante Uſuardum, à quo laudatur in operis ſui Præfatione.

Martyrologium Wandelberti Monachi Prumienſis, qui & aliquot annis antiquior fuit Uſuardo, ſuum etiam hîc locum habebit. Poterat-ne Wandelbertus clariùs exprimere aſſumptæ Virginis triumphum, quàm his verſibus?

Octavâ decimâ mundi lux Floſque Maria
Angelicis comitata Choris petit æthera Virgo.

Nec audiendus Diſſertator, ſi dicat poſſe hos verſus intelligi de migratione duntaxat animæ Beatæ Virginis. Nam præterquam quòd Comitatus iſte Angelorum tantùm non oculis ſubjicit rem ab Apoſtolis conſpectam, tanquam rem corpoream,

reſpicit procul dubio Wandelbertus ad communem illorum temporum traditionem, quâ Beatiſſima Virgo corpore etiam in cælum evecta credebatur; quod ex Sanctis Patribus qui tum vixerunt poſteà demonſtrabimus.

Quid Rabani Mauri Archiepiſcopi Moguntini Martyrologium ſub ipſa tempora Uſuardi editum? Nonne habet hæc verba?

XVIII. Cal. Sept. *Aſſumptio S. Mariæ.*

Quid Notkeri Martyrologium, paulò poſt Uſuardi tempora vulgatum? Numquid hæc etiam?

XVIII. Calend. Septembris. *Vigilia Aſſumptionis ſanctæ Mariæ.*

XVII. Calend. Septembris. *Aſſumptio Beatæ Mariæ genitricis Dei.*

Quis credat hos omnes Martyrologos alio sensu usurpasse Assumptionis nomen, quàm quo in Ecclesiâ semper usurpatum noverant; ut nempe perfectam tum animæ tum corporis evectionem significet? Nemo sanè id sibi persuadeat, præsertim si (quod à me jam observatum) apud se perpendat nunquam Assumptionis nomen in Sanctorum morte designandâ usurpatum fuisse ab Ecclesiâ. Sed pergamus.

MARTYROLOGIVM Romanum.

CUM Romani Martyrologii nomine non alium Codicem intelligam, quàm quem Baronius edidit, notisque illustravit, non est quòd de ejus antiquitate ac fide pluribus dis-

putem. Consulantur quæ ad ejus commendationem scripsit idem Baronius in Præfatione operis, quæ sunt ejusmodi, ut maximam hactenus Martyrologio huic auctoritatem conciliaverint. Neque verò ab ea sententiâ nos dimoveant quæ in contrarium adducit Dissertator, quæ vix refelli digna sint. Triplex enim Martyrologii hujus editio facta sit in urbe; quid inde? Nunquid aliis libris id evenit? qui quò sæpius eduntur, ferè semper auctiores emendatioresque prodeunt? Desideraverit verò Baronius Martyrologium quod Mosander habere se testabatur, paratus quoque fuerit libenter aliquid immutare in Martyrologio Romano: quid etiam hîc mirum? Numquid ista sano sensu interpretari oportet, si tanti esset aliquid immutare? Atqui eventus ipse comprobavit nihil

mutaturum fuisse Baronium, viso Rosvvedi Martyrologio, quod non esse vetus Romanum, à nobis infrà demonstrabitur. Cùm ergo sua constet Martyrologio Romano auctoritas, perpendenda sunt hæc ejus verba.

Decimo nono Calend. Septembris. *Vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis.*

Decimo octavo Cal. Septembris. *Assumptio sanctissimæ Dei genitricis Virginis Mariæ.*

Idem Assumptionis vocabulum tum in Vigiliâ, tum in Festo; nec est quicquam quod hîc reprehendat Dissertator. Nihil enim additum aut immutatum. Nulla verborum facta transpositio. Plana omnia & simplicia. Quid ergo reponat aut quò recurrat, nisi fortè ad consuetam cantillenam; Assumptionis nomine solam animæ migrationem significari? Sed cùm toties hoc

effugium ipsi præcluserimus, non est quòd diutiùs hîc immoremur.

MARTYROLOGIA Vsuardi & Adonis.

NON rarò contingit ut ex ipsis inimicis salutem consequamur, dum nempe vel incauti, vel ad nocendum non satis audaces, arma nobis subministrant. Id potissimùm Usuardo & Adoni usu veniisse comperias, qui dum veritatem omni ex parte negare non ausi sunt, quodammodo partiri contenti, ipsam nobis integram reliquerunt. Usuardi hæc sunt verba.

XVI. Cal. Sept. *Vigilia Assumptionis Dei genitricis Mariæ.*

Hæc Adonis.

XVII. Cal. Sept. *Vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ.*

Nimirum tam crebro in usu erat Assumptionis nomen, ut illud omnino supprimere ausi non fuerint, nec proinde rem eo nomine significatam apertè negare. Quid verò moliti sunt? Dormitionis vocabulum die festo assumptæ Virginis substituerunt. Ita enim ambo.

XVIII. Cal. Sept. *Dormitio sanctæ Dei genitricis Mariæ.*

Quod quidem eo consilio factum, ut aditum sibi facerent ad commentarium illis verbis additum, quo negant Ecclesiam nosse, ubi occultatum fuerit corpus Beatissimæ Virginis. Atque illud est propter quod graviter in illos invehitur Baronius. *Currebatis bene*, inquit, *quis vos impedivit?* Ac si diceret. Uterque agnoveratis. Deiparam Virginem corpore in cælum evectam; cùm id sonet vox Assumptionis quâ usi estis. Cur mutastis sententiam?

tentiam? Non ob id dico duntaxat quia Dormitionis vocem postea usurpastis, (quamquam & hoc est aliquid, cùm à communi loquendi usu temerè non sit recedendum) sed quia ausi estis accusare Ecclesiam ignorantiæ, eâ in re quam optimè se nosse ipsa semper præ se tulit; quippe quæ de assumpto corpore Virginis in cælum nunquam dubitaverit. Hæc Baronius, si non iisdem verbis, at eodem sensu.

Ægrè admodum tulit Dissertator castigatum Usuardum; ac ne maneret inultus Baronium vicissim acerbissimè perstrinxit; nullâ motus reverentiâ viri dignitate eminentissimi, sanctitate ac doctrinâ præcellentissimi; ac de Ecclesiâ, si quis alius, quàm optimè meriti. Sed de hac querelâ, cùm Baronium defendemus. Jam paucis expendendum

quid afferat quò famam Usuardi sibi tantopere charam, tanto cum Baronii dispendio tueatur.

Primùm ait, prudenter ab Usuardo factum, quòd *Assumptionis* & *Dormitionis* vocabula promiscuè usurpaverit, ut nempe Latinorum loquendi morem per *Assumptionis* verbum; Græcorum verò, per *Dormitionis* vocem designaret. *Non enim*, inquit, *verisimile virum prudentem, pium atque doctum, aliud in mente habuisse, quàm diversas appellationes utriusque Ecclesiæ demonstrare, cùm ipsi æquè facile fuisset in Vigiliâ Assumptionis verbo Dormitionis uti, si verbum Assumptionis supprimere voluisset.* His omnibus, quæ latè persequitur, conjectorem agit. Conjecturam tamen lubens admitterem nisi esset in Usuardi verbis, unde concordiam istam Latinorum Græ-

Pag. 23.

corumque eum in animo non habuiſſe conſtaret. Ait enim Uſuardus, *Eccleſiam neſcire quò occultatum fuerit corpus Mariæ Virginis.* Qui verò ità loquitur, quomodo conciliet Latinos Græcoſque Patres, à quibus utriſque diſcedit, cùm promiſcuo uſu harum vocum Aſſumptio & Dormitio rem eamdem ſignificent?

Nam quemadmodum qui *Aſſumptionis* voce utuntur, non negant B. Virginem obdormiiſſe, immo ſupponunt: ita qui *Dormitionis* vocabulum uſurpant, non negant eamdem corpore in cælum evectam, quamvis id minùs clarè exprimant. Exemplo ſint Græci Patres Damaſcenus, Andreas Cretenſis, alii, qui eas ipſas orationes in quibus apertè docent Virginem corpore aſſumptam nihilominus inſcripſerunt de *Dormitione B. Virginis.*

Atque hinc intelligas, quàm frustrà magnam operis partem impenderit Dissertator in iis probandis quæ nemo negat, cùm *Dormitionis* vocem aliquando usurpatam tum à Græcis tum à Latinis Patribus omnes consentiant.

Quò verò pertinent quæ hîc attexuit de usu Ecclesiæ in admittendis suo in Officio Græcis vocibus Κύριε ἐλέησον, Χριστε ἐλέησον. Immo & Hebræis quibusdam *Amen*, *Alleluia*, *Sabaoth*, *Ozanna?* Quò etiam, nisi multiplicis lectionis ostentandæ gratiâ, quæ de Virginibus Cœnobii Paracletici Tricassinæ Diœcesis, à quibus die Pentecostes Officium divinum græcanico idiomate celebratur in memoriam Heloissæ? Nam quid hæc ad Usuardum, qui Dormitionem scribit, non κοίμησιν? Quid ad Ecclesiam, quæ linguam hîc

Pag. 24. 25.

utramque non miſcet, cùm Dormitionis vox, quâ utitur, merè Latina ſit ?

Sed quo illuſtriori exemplo ſuum in defendendo Uſuardo præceps ſtudium demonſtrare poterat, quàm his verbis ? *Nec fortaſſe ab Vſuardi mente, cùm duabus hiſce diverſis vocibus uſus eſt*, (Aſſumptionis & Dormitionis) *alienum fuit utrumque innuere*, (migrationem animæ B. Virginis & ejus Aſſumptionem corporalem) *cujus quidem conſilii tantùm abeſt ut redargui debeat, ut è contrario rem utilem ac cogitatione non indignam inſinuarit ; quandoquidem Vigiliam* Aſſumptionis *B. Mariæ & diem ejus* Dormitionis *copulando, utriuſque rei teſtimonium produxerit ; &* Dormitionis, *hoc eſt migrationis B. Mariæ ex hac vitâ, quam* XV. *die Auguſti, etiam abſque Aſſumptione corporeâ meritò celebramus, &* Aſſumptio- Pag. 32.

nis corporeæ, *quæ posteà contigit, sed quam ad Dormitionis diem remittimus, ut ex duobus Festis tantummodò unum fiat.*

Quæso te, Usuardi vindex, si migratio B. Virginis ex hac vitâ celebratur die XV. Augusti absque Assumptione corporeâ; Assumptio verò corporea, quæ posteà contigit, quæque olim posteà celebrabatur, nunc ad diem Dormitionis XV. Augusti remittitur, ut ex duobus Festis unum fiat; quæ intemperiæ transversum egerunt Usuardum ut ὑστέρως πρωτέρως scriberet, hoc est ut Vigiliam Assumptionis nomine; Festum verò Dormitionis vocabulo denotaret? cùm nominum ordo rei gestæ ordinem sequi debuerit. Si Vigiliam Dormitionis scripsisset, faciliùs condonarem. Certè vereor si Usuardus reviviscceret, ne hîc se proditum potiùs quàm defensum à

te diceret. Hîc autem Lectorem obſervare velim quàm apertè laudatis ſuprà verbis Aſſumptionem corpoream B. Virginis Diſſertator agnoſcat ; ex quo intelligatur quàm verè dixerim ipſum ſæpiſſime pugnantia ſecum loqui.

Quia verò timet, ac meritò quidem, ne non ſatis defenſus ſit Uſuardus, aliâ ratione tentat ei ſuccurrere. *Sed & alia*, inquit, *quædam ratio Vſuardum movit, ut de Dormitione B. Mariæ die* XV. *loqueretur, nimirum ut ejus obitum naturalem indicaret contra Antidico-Marianitas, qui inter alia commenta, eam è vivis exiiſſe negabant, à quorum ſententiâ nec ipſe S. Epiphanius diſſentire videbatur, cùm de morte ipſius aliquid pronuntiare non auderet.* Pag. 44.

In eo quidem fateor, laudem meretur Uſuardus, quòd dixerit non dubitandum quin B. Virgo

pro conditione carnis migraverit ex hac vitâ, etsi sacratissimum ejus corpus non invenitur super terram. Sed quæ subjungit verba sanam ejus eò usque doctrinam inficiunt. Sunt autem hæc: *Quò autem illud venerabile Spiritus sancti templum occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.* Nam, quod jam sæpiùs monui, nunquam Ecclesia id se nescire dixit. De Antidico-Marianitis verò, quos commemorat, id solùm dico; eâ in re quid errarent ab eo perceptum non esse. Non negabant Mariam Virginem esse mortuam, (fuit is error Collyridianorum) sed fœdissima multa de eadem pronuntiabant, quæ hîc referre necesse non est.

Pergit Usuardi patronus. Nam clientem tueri quoquo modo certum

certum habet. *At interim*, inquit, *objiciet fortaſſe aliquis, ſi Vſuardus ea quæ ſuprà dicta ſunt de Dormitione Beatæ Virginis in mente habuiſſet, nimirum ut tantummodò Eccleſiæ Græcæ veluti & Latinæ ritum exprimeret, atque Antidico-Marianitas hæreticos repelleret, quare ſequentibus verbis ſe de Aſſumptione corporali Virginis dubitare innuit, cùm hæc verba profert?* Quò autem venerabile illud Spiritus ſancti Templum nutu & conſilio occultatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm quid frivolum & apocryphum indè tenendo docere. Pag. 59.

Verùm ab illo, qui ſic me interrogarit, viciſſim ego petierim: Quid ſi Vſuardus his verbis teſtificari voluerit, Reliquias nullas corporis Beatæ Mariæ ſupereſſe in terris? (Non enim defuerunt qui hæc ipſius verba ſic interpretati

sunt) num ex iis inferri posset Vsuardum Assumptionem Virginis corpoream non credidisse ? Quin imò ex isto sensu procul dubio sequeretur Vsuardum firmiter tenuisse Beatissimam Virginem in cœlos corporaliter assumptam fuisse, quandoquidem nulla portio ex ejus corpore in terris permansisset.

Hîc animadverte, Lector, peculiarem agendi methodum Adversarij, nec ab alio, quod sciam, usitatam; dum ea profert, non solùm quæ ab aliis mox refellenda noverit; sed quæ ipsemet non probat, & statim refellere in animo habet. Penelopen diceres, quæ quam telam interdiu texuerat, noctu retexebat. Si enim ab eo quæram, num alicui è commemoratis rationibus quibus Vsuardum propugnat, acquiescere velit; scio, negabit. Cur ergo eas profert? De hâc postrema hoc solùm

dico. Urinam ſic interpretari daretur Uſuardum, ut nullas Mariæ Virginis Reliquias ſuperſtites eſſe tantùm innueret; eſſet unde ſe tuerentur Canonici Pariſienſes deceſſores noſtri, qui nimiùm patienter ejus verba recitari permiſerunt aliquamdiu. Sed clariùs loquitur Uſuardus quàm ut ſit locus huic interpretationi. *Quò autem venerabile illud Spiritus ſancti Templum nutu & conſilio divino occultatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum & Apocryphum inde terendo docere*; Habent-ne hæc verba alium ſenſum, quàm ex mente Uſuardi Eccleſiam neſcire ubi occultatum fuerit corpus Mariæ? Si enim aliter ſentiret, quærenti ubi occultatum ſit ejus corpus, prompta foret reſponſio; in cælo; unde apertiſſimè ſequeretur, nullas ejus Reliquias in terris ſupereſſe.

Quamobrem rei evidentiâ victus Jolius tergiversandi finem facit, & quasi eum pœniteret operæ perditæ in sexaginta paginis, quas præmiserat, fatetur tandem Usuardum id asserere quod Baronius in eo reprehendit. Sed quærit à Baronio, *quid ibi adeò contra fidem Ecclesiæ*
Pag. 61 *reperire potest? An ideò*, inquit, *Usuardus contra Ecclesiam locutus est, quia non asseruit ac professus est id quod ipse exigit, hoc est* ipsam sanctissimam Dei genitricem Mariam unâ cum Sacratissimo illo corpore quo impartita est Deo carnem in cælum esse receptam?

Fidelis quidem est viri piè credere corpus Beatæ Mariæ Virginis in cælum esse receptum, &, ut opinatur Petrus Blesensis, servatum fuisse ab omni mortalitate & corruptione illæsum. Istud enim est verisimile. Veruntamen illum non arbitrabor infidelem, qui non asse-

rat nec profiteatur, quod nec sacris litteris, nec traditione indubitatâ stabiliatur.

Egregiam pro Usuardo Apologiam: in quâ, quod ei objicitur peccatum, ingenuè agnoscitur. Quid aliud in eo reprehendit Baronius? Quid nos reprehendimus quàm quòd scripserit *Ecclesiam nescire ubi corpus B. Virginis occultatum fuerit?* Quærimus siquidem ab Usuardo ubi & quando professa fit Ecclesia se id nescire? Nunquam satisfaciet, quandoquidem quotquot ante ipsum scripserunt (si unum Pseudohieronymum & paucos ab eo deceptos excipias;) assumptam corpore & animâ Mariam Virginem apertè professi sunt.

At non propterea infidelis Usuardus, non hæreticus. Jam monui Theologos esse qui eum non excusent hæreseos. Sed, infidelis non sit, non sit hæreticus.

Ideóne innocens, quia non omnimodè nocens ? An solâ infidelitate peccatur adversùs veritatem ? aut id solummodò cavendum, quod sit hæreticum ? Si ita sentit Patronus Usuardi, nondum satis æstimavit, quantæ sit temeritatis ac pervicaciæ contra communem Ecclesiæ sensum loqui ; veritati apud Fideles receptissimæ adversari ; ac uno verbo in errorem gravissimum, licèt in hæresim præceps non ruat, incurrere.

CALENDARIA.

CALENDARIA hîc voco breviores illos fastos seu indiculos, quibus Martyrum aliorumque Sanctorum nomina consignabantur ; quæ diversa fuisse pro diversis Ecclesiis jam superiùs à nobis observatum. Id quoque

annotavimus, iisdem ex Calendariis, quæ majores Ecclesiæ propria habebant, conflata deindè Martyrologia in usum universæ Ecclesiæ. Quamvis autem prima Calendaria interciderint, tamen in posterioribus quæ ad nos pervenere, traditionis quam propugnamus satis expressa vestigia animadvertere licet.

Fatetur ipse Jolius se in vetustissimo Calendario paulò post Bedæ tempora edito, Assumptionis vocem deprehendisse. *Nec fortasse*, inquit, *à Bedæ tempore procul abest vetustum quoddam Calendarium Cœnobii S. Germani Parisiensis, in quo hæc verba me deprehendisse non diffiteor.* XVIII. Kal. Sept. Assumptio sanctæ Mariæ Matris Domini. *Cujus antiquitas ex eo apparet, quòd in eo nulla fit mentio die præcedenti, hoc est* XIX. *Kal. Sept. Vigiliæ ejusdem Assumptionis, sed tantùm natalis S. Eusebii Episcopi.* Pag. 19.

Fatetur ibidem, in Calendario quodam MS. Corbeiensis Monasterii 800. circiter annorum, quod asservatur in Bibliothecâ Episcopi Tullensis, referri, *Assumptio S. Mariæ Matris Domini nostri Iesu Christi.*

Nec dubito quin legerit apud Florentinium, in opere à nobis suprà laudato, Parvum Hieronymianum, sive Martyrologium sive Calendarium ex pervetusto membranaceo libro Bibliothecæ Canonicorum Lucensium, qui inscribitur Comes S. Hieronymi per anni circulum; in quo hæc verba habentur. XVIII. Kal. Sept. *Assumptio sanctæ Mariæ Virginis.*

Quin & ibidem procul dubio legit quæ Florentinus refert de Blumanii Codicis Martyrologio nongentis abhinc annis scripto, in quo hęc quoque verba. XVIII. Kal. Sept. *Assumptio sanctæ Mariæ*

Matris Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Sed & ſcio ab eo lectum *Sanctuarium Capuanum* Michaëlis Monachi editum Neapoli anno 1630. in quo Calendaria quinque eaque vetuſtiſſima referuntur, in quibus hæc eadem verba: *XVIII. Cal. Sept. Aſſumptio S. Mariæ Virginis.*

Quid hîc Statuta antiqua Cœnobii Corbeienſis Ordinis S. Benedicti anno 822. edita commemorem, quæ ab Uſuardo ejuſdem Ordinis Monacho ignorari piaculum fuiſſet, in quibus lib. 2. cap. 2. cui titulus eſt, *de Meiris in feſtivitatibus Sanctorum*, hæc leguntur. *Aſſumptio S. Mariæ?*

Uno verbo, vix ulla vel Calendaria vel Martyrologia, libroſve Rituales reperias, ſive ante, ſive poſt Uſuardi tempora, in quibus vox Aſſumptionis uſurpata non fuerit. Quamquam

autem in quibuſdam Dormitionis vox legitur, nihil quicquam id nobis officit. Nam, (quod jam ſæpius obſervavimus) vocibus iſtis eâdem notione utitur Eccleſia, cùm ita dicat Virginem obdormiiſſe, ut ex illa dormitione evigilaſſe credat; quod clariùs per Aſſumptionis vocem exprimit.

Itaque inutilem operam impendent tum Diſſertator, tum quiſquis ei adſtipulari volet, in perquirendis Calendariis aut Martyrologiis quæ Dormitionis vocabulum habeant, ubi de B. Virgine ſermo. Ut, ſi quid proficere velint, eis inveſtiganda ſint Calendaria vel Martyrologia, in quibus vox Aſſumptionis in Sanctorum morte deſignandâ promiſcuè uſurpata ſit ab Eccleſiâ. Hinc enim ſequeretur Eccleſiam peculiare aliquid in Mariæ Virginis morte

non agnoviſſe per Aſſumptionis vocem. Sed, quod non exſtat, quâ ratione inveſtigabunt?

Fruſtra ergo laudat adverſarius Martyrologium quoddam Adonis M S. apud S. Germanum à Pratis, in quo XVIII. Kal. Sept. reperitur ſcriptum, *Dormitio vel Aſſumptio; quaſi duo hæc verba*, inquit, *idem ſignificent.* Quis enim neget idem ſignificare, cùm Eccleſia de Virgine ſermonem habet; hoc tantùm diſcrimine, quòd Dormitionis nomen clariùs exprimit ejuſdem Virginis mortem, quàm Aſſumptionis vocabulum; hoc verò ejus in cælum aſcenſum expreſſiùs ſignificat, quàm Dormitio; revera autem ambæ notiones in alterutro includuntur vocabulo. Unde patet eorum ſenſum aliò detorqueri, quoties ad ſignificandam duntaxat migrationem Virginis ex hac vitâ, Pag. 41.

exclusâ Assumptione, adducuntur; quod facit Ado.

Frustra etiam profert Breviarium quod ibidem exstare ait, & à 500. vel ampliùs annis jam scriptum creditur. *In cujus*, inquit, *Calendario*, cum XVIII. Kal. Sept. *Dormitio sanctæ Dei genitricis* relata sit, in contextu tamen officij ejusdem diei, titulus sic se habet. *In Assumptione S. Mariæ.* Frustra, inquam, hæc profert ad defensionem Usuardi. Non enim propterea reprehenditur Usuardus à Baronio neque à nobis, quòd Dormitionis & Assumptionis vocabula usurpaverit, cùm de morte Virginis mentionem facit; sed quòd neget Ecclesiam scire, ubi sit occultatum corpus ejusdem Virginis.

Pag. 41.

Denique frustra, ne dicam contra se, mentionem facit *Collectarum* quatuor Festi Assump-

Pag. 42.

tionis quæ in Breviariis annorum 1479. & 1492. habentur. Fatetur enim ſecundam, quæ etiam nunc in uſu *Veneranda nobis eſt, Domine*, *Aſſumptionem* corpoream B. Virginis ſatis apertè pronuntiare. Fatetur quoque poſtremam Aſſumptionis vocabulo uti. Quid igitur noceat quòd in primâ neque Dormitionis neque Aſſumptionis nomen legatur? Quid noceat quòd tertia, requiem ſanctæ Dei genitricis appellitet? *Concede miſericors Deus*, &c. Numquid optimè intelligitur *Requies* B. Virginis eo ſenſu quem dicimus, ut ubi obdormiiſſet evigilaverit, & in beatiſſimam requiem evecta fuerit. Pag. 34.

Articulus Tertius.

De Ordine Romano.

Ordinis Romani maxima quoque in hac cau-

sâ auctoritas, cum in eo libro referantur Ritus qui in sacris peragendis aliisque divinis officiis servati sunt semper in Ecclesiâ. Auctor quidem incertus, sed non ideò incerta auctoritas aut antiquitas, cùm utraque hinc satis commendetur, quòd operis istius mentio fiat in libro Sacramentorum sancti Gregorii, de quo mox agimus. Si quid tamen dubitationis superst Dissertatori, consulat quæ tum in Epistolâ dedicatoriâ, tum in Operis Præfatione summâ diligentiâ annotata sunt ab Historpio ejus editore. Hîc exscribimus quæ fieri solebant Romæ tum in Vigiliâ, tum in Festo Assumptionis Beatæ Mariæ, undè constet Festum hoc vetustissimum esse ac solemni ritu semper celebratum.

ORDO.

In Aſſumptione ſanctæ Mariæ in ipsâ nocte leguntur Cantica Canticorum, vel Homiliæ ejuſdem diei. In ipsâ veſperâ Vigiliarum præparatur quoddam Portatorium in ſancto Laurentio apud Lateranos, ſuperpoſitâque tabulâ imagine Chriſti Domini noſtri inſignitâ à medio noctis concurrente populo exeunt cum Litaniis ad ſanctam Mariam minorem, mundatis per viam plateis & ſuſpenſis per domos lucernis, ibique in gradibus ſanctæ Mariæ depoſitâ aliquandiu Iconâ, omnis Chorus virorum ac mulierum, genibus humiliter ante eam flexis, pugnis etiam pectora cædentes, unâ voce per numerum dicit centies Kyrie eleïſon, centies Chriſte eleïſon, centies Kyrie eleïſon, fuſiſque lachrymis & precibus per ſanctum Adrianum rectâ viâ vadunt

ad sanctam Mariam Majorem, auditâque Missarum celebritate, ad Palatium revertuntur.

Tomo 1. Liturgicωn Latinorum Patrum Jacobi Pamelij in Vigiliâ Assumptionis Mariæ hæc est Oratio super populum: *Subveniat, Domine, plebi tuæ Dei genitricis oratio, quam etsi per conditionem carnis migrasse cognovimus, in cælesti tamen gloriâ pro nobis orare sentiamus. Per Dominum.* Pag. 414.

Super oblata verò hæc est: *Suscipe, quæsumus Domine, sacrificium placationis & laudis, quod nos, interveniente sanctâ Dei genitrice semperque Virgine Mariâ, cujus festivum Assumptionis diem celebramus, & perducat ad veniam, & ad perpetuam gratiarum constituat actionem.* Per Dominum.

Præfatio verò est hæc. *Per Christum Dominum nostrum. Et in hujus diei venerandâ festivitate gaudere, in quâ sancta Dei genitrix*

trix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum: cujus intercessione, quæsumus, ut mortem evadere possimus animarum. Per eumdem.

Est & alia peculiaris Vigiliæ ejusdem Præfatio Tom. 2. Liturgicωn inter Præfationes antiquas per anni circulum, quam idem Pamelius Ambrosii esse testatur. Ex quâ Vigiliæ Assumptionis probatur antiquitas. Sic autem se habet. *Æterne Deus. Et in die festivitatis hodiernæ, quâ B. Mariæ Assumptionis recolentes diem, debitâ prævenimus servitute: cujus veneranda festivitas nobis tantò amplius ejus intercessione erit profutura, quantò humiliùs nostrâ fuerit devotione celebrata. Per Christum.* Multâ hîc prætereo quæ festi Assumptionis ejusque Vigiliæ antiquitatem probare pos-

sunt, de quâ infrà suo loco agemus.

Articulus Quartus.

De Libro Sacramentorum S. Gregorii.

Cum Catholicum dogma de originali peccato asseereret S. Augustinus adversùs Pelagianos, his præsertim Apostoli verbis pugnabat. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Rom. 5 Quantumcumque enim illi vel eloquentiæ afferrent in scribendo, vel subtilitatis in disputando, ut tenebras offunderent veritati; id totum clarissimâ eorum verborum luce dispelli meritò censebat sanctissimus Doctor.

Haud absimili dixerim ratio-

ne, in verbis quæ mox adducimus ex Libro Sacramentorum S. Gregorii, tam certum Catholicæ quam tuemur veritatis argumentum haberi, ut alio non sit opus testimonio ad confutandum Usuardi Dissertatorisque ejus patroni errorem. Tria quippe exiis colligimus quibus tota quæ inter nos est quæstio dirimitur. Primum, Assumptionis nomen Gregorii tempore, hoc est sexto sæculo, maximo in usu fuisse; ter enim à Gregorio usurpatur. Secundum, Vigiliam quoque Festi Assumptionis tunc temporis celebratam, ac proinde festum ipsum institutum: quod utrumque negat adversarius. Tertium, tum etiam receptum fuisse in Ecclesiâ, quòd Maria Virgo, non animâ solum, sed & corpore in cælum iverit, atque id ipso nomine Assumptionis significari.

Ac de nomine quidem *Assumptionis*, ut & *Vigilia*, res manifesta his ex verbis.

XIX. Kalendas Septembris. Nat. S. Eusebii sacerdotis, &c.

Eâdem die *Vigilia Assumptionis S. Mariæ.*

XVIII. Kalendas Sept. *Assumptio sanctæ Mariæ Virginis.*

PRÆFATIO.

Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus; & te in veneratione sacrarum Virginum exultantibus animis laudare, benedicere & prædicare. Inter quas intemerata Dei genitrix Virgo Maria, *cujus Assumptionis diem celebramus, gloriosa effulsit, &c.*

Quòd autem Gregorii tem-

pore receptum esset in Ecclesiâ Mariam Virginem corpore & animâ in cælum iviſſe, (quod tertio loco poſuimus) probatur manifeſtiſſimè ex hac Oratione ſeu Collectâ quæ in Gregorii Sacramentario eòdem loci habetur.

Veneranda nobis, Domine, hujus eſt diei Feſtivitas, in quâ ſancta Dei genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum noſtrum de ſe genuit incarnatum.

Quid enim aliud ſignificant hæc verba, *Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*, niſi Mariæ corpus non potuiſſe detineri tumulo, quemadmodum ceterorum corpora ſolent? Nam proculdubio de morte loquitur Gregorius, quam paulò ante Mariam Virginem obiiſſe dixerat. Quam verò mortem obierat, ni-

si temporalem, hoc est mortem corporis? Neque enim morti animæ, quod est peccatum, obnoxia fuit. Itaque non aliam ob causam *mortis nexibus deprimi* non potuisse dicitur, nisi quia diù morti non subjacuit, sed revixit è tumulo, junctoque corpore cum animâ, in cælum evecta est.

Quid hîc agat Adversarius? Clariora sunt verba Collectæ, quàm ut tergiversatione ullâ eludi possint. Quod ipse quoque pro sua ingenuitate fatetur non semel. Ita enim scribit: *Secunda verò collecta, quæ in laudibus cantabatur, satis apertè de Assumptione corporeâ pronuntiabat, & etiam nunc in usu habetur per hæc verba: Veneranda nobis, Domine, hujus diei festivitas opem conferat salutarem, in quâ sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, &c.*

Pag. 42.

Quin & in Breviariis illis Parisiensibus anno um 1479. & 1492. & in posterioribus, sicut & in Missali quodam Parisiensi M S. pervetusto collecta illa quam suprà notavimus, Veneranda nobis Domine, &c. pluries adhibita est, quæ vix aliud sonat, ut jam dictum est, quàm Assumptionem corporalem B. Virginis, veluti eo sensu explicatur ab Abailardo sermone 1. de Assumptione B. Mariæ suprà citato. Vnde sequitur Ecclesiam Parisiensem alicubi plus expressisse de Assumptione corporeà B. Virginis, quàm Romanam, quæ collectam istam tantùm in processione hujusce diei juxta Gregorii Sacramentarium usurpat. Pag. 105. 106.

Cùm igitur ingenuè agnoscat non aliter intelligi debere verba Collectæ, quàm de Assumptione corporeâ B. Virginis; cùm fateatur eo sensu intellectam ab Abailardo non ob-

tusi ingenii viro, immò cùm ipse observaverit *Ecclesiam Parisiensem*, (quæ maxima ejus laus) *alicubi plus expressisse* de Assumptione *corporeà B. Virginis, quàm Romanam, quòd eamdem collectam sæpius admiserit.* Quid restat, nisi ut in seipsum ferat sententiam, fateaturque imprudenter sibi in mentem veniisse totum hoc scribendæ Dissertationis consilium? Quantò id æquiùs, quàm apertæ, quod facit, veritati sibique ipsi reluctari.

Videamus tamen quò confugiat in hac desperatâ causâ. Tentat nonnihil de Sacramentarii auctoritate detrahere; sed inani prorsùs conatu, cùm adversùs illud nihil afferat nisi conjecturas meras, ut solet. *Adde*, inquit, *quòd Sacramentarium Romanum non adeò genuinum opus Gregorii esse constat, ut ipsius operâ ac manu conscriptum fuisse cer-*

Pag. 88. & 89.

to

to certius sit. Nam neque inter ipsius opera collocari consuevit. Ego facilius existimarim ab alio quopiam Scriptore concinnatum esse, ac propterea Gregorio vel approbante vel non renuente in usu fuisse.

Qui sic dubitat, ne se quidem dubitare convincit, tantum abest ut alios dubitare cogat. Primùm fatetur librum hunc saltem Gregorio vel approbante vel non renuente in usu fuisse. Quod vel unum ad ejus commendationem sufficiat. An enim approbasset Gregorius Magnus vel toleraſſet aliquid quod traditioni Ecclesiæ adversum foret? Quid verò mirum, eum librum aliquamdiu inter opera Gregorii non collocatum? Quem latet identidem novos libros adjici operibus Sanctorum Patrum aliorumque Scriptorum, ut prodeunt è tenebris & publici juris fiunt. Scriptus fuerit necne,

Gregorii manu, asseverare non ausim. Sed quid hoc refert? Immò conjecerim cum Walafrido Strabone Sacramentarium à Gregorio collectum ex præcedentibus libris qui peragendorum Sacrorum ritus complectebantur, quos S. Gregorius in meliorem formam & ordinem redegit.

Quid autem diutiùs moror in re tam clarâ? Si nolit Adversarius acquiescere testimoniis Bedæ, Cassiodori, Joannis Diaconi, Walafridi Strabonis, Bernonis Augiensis, Auctoris Micrologi, & quotquot de divinis Officiis scripserunt, qui omnes juxta vetustissimorum Codicum M. S. inscriptionem *Sacramentarium* S. Gregorio adscribunt; audiat saltem Patres in Concilio Generali Francofordiensi congregatos, tanquam impositam sibi nubem testium. Cùm

enim Helipandus & alii Hiſpaniæ Epiſcopi, edito libello ad eos ſcripſiſſent, in divinis Officiis & ad Miſſas Orationibus, quas ex Eugenii, Hildephonſi, Juliani Toletanæ urbis Epiſcoporum traditione acceperant, Chriſtum Dei filium adoptivum nominari; in hunc modum reſponderunt.

Meliùs eſt teſtimonio Dei Patris credere de ſuo Filio, quàm Hildephonſi veſtri, qui tales vobis compoſuit preces in Miſſarum ſolemniis, quales univerſalis & ſancta Dei non habet Eccleſia. Nec vos in illis exaudiri putamus. Et ſi Hildephonſus veſter in Orationibus Chriſtum adoptivum nominavit, noſter verò Gregorius Pontifex Romanæ ſedis & clariſſimus toto orbe Doctor in Orationibus ſuis ſemper eum Vnigenitum nominare non dubitavit.

Extra dubium eſt his verbis innui, ſeu potiùs apertè ſignifi-

cari Sacramentarium S. Gregorii. Nam ad finem plurimarum Orationum seu Collectarum quę à Patribus Concilii Francofordiensis dicuntur in eo libro exstare, quæque revera etiamnum exstant, Christus prædicatur Unigenitus Dei Filius.

Est præterea liber alius S. Gregorii, qui Antiphonarius seu Gradualis inscribitur, quòd nempe complectatur Antiphonas quæ ad Missam decantabantur. In eo, ubi referuntur Antiphonæ in Missâ Festi Assumptionis recitari solitæ, titulus hic præfigitur: *Assumptio S. Mariæ.*

Ex his ergo omnibus liquidò patet, non solùm S. Gregorii sæculo receptam fuisse opinionem, quòd B. Virgo animâ & corpore in cælum iverit; sed eamdem viguisse quoque primis Ecclesiæ temporibus, cùm referat Gregorius Ritum ejus anti-

quum & perpetuum in sacris peragendis. Sanè nemo nescit ejusmodi librorum Ritualium nullum ferè statui posse initium; quod de Sacramentario Gregorii præsertim dici debet, cujus non tam auctorem quàm collectorem ipsum fuisse jam monuimus. Vocatur autem hic liber Sacramentarius, seu liber Sacramentorum, quòd in eo officia Missarum Liturgica contineantur, quæ sancti Patres olim Sacramenta appellarunt. Ceterùm hinc etiam manifestè colligitur, Assumptionis nomine corporis & animæ evectionem significari, cùm nemo dubitare possit quin eo sensu à S. Gregorio fuerit usurpatum.

* * † * *
* I H S *
* * * *

Articulus Quintus.

De officio Divino die Festo Assumptionis.

Officium divinum, quod eas preces complectitur quas perpetuò adhibuit Ecclesia in festo Assumptionis, suum etiam inter antiquitatis monimenta locum habere debet. Unde enim certiùs quàm ex ejusmodi precibus deprehendamus quis olim fuerit, & quis etiamnum sit Ecclesiæ sensus de morte Mariæ Virginis, ejusque in cælum Assumptione? nisi fortè alicui in mentem veniat, id Ecclesiam non credidisse, quod publicis in precibus palam professa est ac profitetur se credere. Quo nihil excogitari potest absurdius.

Quid verò clarius, quid ex-

preſſius habetur ſingulis in Officii hujuſce partibus, quàm B. Virginem animâ & corpore in cælum evectam fuiſſe? Id clarè pronuntiatur inter Miſſarum ſolemnia, tum in Præfatione, tum in Collectâ quam laudavimus, *Veneranda nobis, Domine*, &c. quæ Uſuardi & ejus patroni errorem æternùm proſcribit. Idipſum Antiphonæ reſonant, Invitatorium prædicat, Verſus canunt, Reſponſoria clamant, diſertis denique verbis Lectiones affirmant, quas ex Damaſceno eum in uſum Eccleſia excerpſit, rejectis aliis quæ ex Pſeudohieronymi libello depromptæ fuerant. Ita-ut ſi Catholicos omnes, qui feſto die Aſſumptionis ad Chriſtianas Baſilicas accedunt, interrogare poſſis, num credant Virginem Deiparam corpore in cælum iviſſe, rideri ſe abs te putent, & ut aures admoveas pu-

blicis Ecclesiæ precibus non sine stomacho admoneant.

Neque verò hic solius Ecclesiæ Occidentalis usus. Nam & Orientalis eumdem ritum in precibus semper adhibuit. Itaut ex utraque Ecclesiâ gemini veluti Chori exurgant, quibus assumptæ Virginis laudes certatim decantantur. Audi Dissertator quibus Canticis Mariam corpore in cælum euntem prosequantur Græci suis in Menæis sive Menologiis.

Πιστεύομεν Ἰησοῦς ὁ υἱός σου, θεοτόκε, ὁ θεὸς ἡμῶν τὰς δύο φύσεις αὐτοῦ, ὡς μὲν ἄνθρωπος γνήσει, ὡς ὁ θεὸς ἐξανίσταται σὲ θεομῆτορ νόμῳ φύσεως γενεῖν δόδόκησεν ἵνα μὴ τοῖς ἀπίστοις φαντασία νομισθῇ ἡ οἰκονομία· μετέβης ὁ τοὺς οὐρανοὺς νύμφη ὡς ἐκ πάσου σκήνους σοῦ γῆθεν ἀπάρασα. ἠγιάσθη ὁ ἀήθηρ ἐν τῇ ἀνόδῳ σου, ὡς ἐφωθήσθη ἡ γῆ ἐν τῷ τόκῳ σοῦ. Προπέμ-

πουσιν ἀπόστολοι καὶ ἄγγελοι ὑπο-δέχονται, ὅθεν κηδεύσαντες τὸ πανάχραντον σῶμα σου, καὶ ἐνταφίου ὕμνον ἐξάδοντες μετάρσιον ἔβλεπον, καὶ φόβῳ ἔλεγον. αὕτη ἡ ἀλλοίωσις τῆς δεξίας τοῦ ὑψίστου.

Filius tuus Deusque noster, „
ut fidem duarum quas habet „
naturarum stabiliret, mortuus „
est quidem ut homo, sed resur- „
rexit ut Deus. Te quoque mo- „
ri, ô Genitrix Dei, ad præscrip- „
tum naturæ perplacuit Deo; ne „
à fide alienis Incarnatio Chri- „
sti tanquam phantasma videre- „
tur, ut cujus mater mortalis non „
esset. Migrasti autem à terrâ in „
cælos, veluti sponsa; de thala- „
mo tuo ceu tabernaculo quo- „
dam progressa. Et quemadmo- „
dum terram illuminasti pari- „
do, sic & æthera sanctificasti as- „
cendendo. Interim Apostoli in- „
taminatissimum funus tuum cu- „
rarunt; atque inter exequias „

« viderunt & corpus tuum sublime
« abiisse, hæc omninò verba cum
« metu præfati. Hæc est mutatio
« dexteræ excelsi. Ex Men. 17. Aug. in fine diei de S. Myrone M.

Χαῖρε γῆ ἐκλεκτή, χαῖρε τράπεζα χρυσοειδής. σῶμα σου τῇ φθορᾷ ἀποδόθεν ὑπῆρξε καὶ πρὸς τάφῳ ἐδόθη ἡ φύσεως τῷ νόμῳ, μένει ὁ ἀδιάφθορον. Salve terra electa, salve mensa splendore aureo fulgens. Etsi corpus tuum sepulchro datum est, tamen nihil ei corruptionis accessit. 22. Aug. de S. S. M. M. Agathonico & Luppo.

Plura sunt ejusmodi Græcorum Cantica, quibus utriusque Ecclesiæ mirus consensus ostenditur in prædicandâ Mariæ Virginis Assumptione, tum animâ tum corpore. Quis autem credat utramque Ecclesiam tot à sæculis id profiteri, & fidelibus populis profitendum proponere,

quod ipsa nesciat ; quodque, si falsum inveniatur (ut in re dubiâ & incertâ evenire potest,) non ipsa modò erraverit, sed & fideles omnes in errorem & superstitionem indignam per tot sæcula induxerit ?

Mirè tamen sibi placet Claudius Jolius in refellendâ probatione omni, quæ ab Ecclesiasticis precibus divinoque Officio ducitur. Magnam enim Dissertationis partem impendit, ut probet quantis mutationibus obnoxium sit totum illud quod ad Officium Ecclesiasticum pertinet, ac proinde quàm nullius auctoritatis sit aut ponderis. Quo verò successu ? esset quidem hîc expendendi locus, nisi intercidenda plus æquo esset series probationum quibus incumbimus. Itaque dilatâ responsione dum solvantur objectiones Dissertatoris ; ex instituti ordi-

nis ratione, sententias Sanctorum Patrum, aliorumque per singulas ætates auctorum placita, investigabimus. Quibus nempe quod ex antiquis Ecclesiæ Actis hactenus confectum est, ampliùs confirmetur. In iis autem adducendis non alium sequemur quàm sæculi, quo quisque vixit, ordinem.

CAPUT QUINTUM.

Assumptam Virginem probant Sanctorum Patrum aliorumque Auctorum ante Vsuardum testimonia.

PERMULTOS vidi qui curiosiùs quærerent, cur de vitâ Beatæ Virginis post Christi in cælos Ascensum pauca duntaxat legantur tum in Scrip-

turâ Sacrâ, tum apud aliquot è sanctis Patribus qui primis Ecclesiæ temporibus vixerunt. Certè (quod observavit Dissertator) semel tantùm de illâ loquitur Lucas Apostolus in Actibus Apostolorum, idque his verbis: Apostoli *omnes erant perseverantes unanimiter in Oratione cum mulieribus & Mariâ Matre Iesu & fratribus ejus.* Ex quo factus audacior Adversarius, non jam timidè, ut anteà, opinatur de Assumptione B. Virginis corpore & animâ; sed eam apertis verbis negat ac rejicit. *Quis autem*, inquit, *crediderit quòd Lucas tam insigne miraculum Assumptionis ejus corporeæ silentio præteriisset, si sibi cognitum fuisset? Quis autem ipsi notum fuisse negaverit, si ceteris Apostolis innotuisset?* Act. 1. pag. 68.

Verùm hoc animadvertat, rogo; si ex silentio B. Lucæ rectè

colligitur Mariam Virginem corpore in cælum non esse assumptam ; pari jure inferri posse eamdem Virginem non esse sanctificatam in utero materno ; non immunem servatam ab omni peccato , etiam veniali ; non mortuam ; non exaltatam supra Choros Angelorum ; quandoquidem de illis omnibus altum silentium apud Lucam & alios Apostolos ; quæ nihilominùs pro certis ac indubitatis agnoscuntur. Sanè , nostrum non est curiosiùs investigare cur hæc vel illa scriptores Canonici attigerint , aliis omissis. Alioquin hic quæreret cur pauci ex Apostolis aliquid scripto mandavere. Ille , cur illi ipsi pauca de Christi verbis , miraculis , ac rebus gestis tradiderint , longè pluribus silentio prætermissis. Alia , alius quæreret ; atque ita inquirendi nullus esset modus

aut finis. *Quis novit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus?*

Ad sanctos Patres quod attinet, qui primis Ecclesiæ temporibus vixere; quis nesciat, rebus divinis tum contemplandis, tum vitâ moribusque exprimendis unicè intentos, vix adscribendum animum appulisse; nec aliàs ferè nisi permotos ac coactos importunitate Ethnicorum & Hæreticorum, quorum errores ut refellerent à Scripturæ Sacræ lectione, rerumque cæleſtium meditatione avocabantur? Adde non omnia quæ priscis ab auctoribus scripta sunt, ad nos perveniſſe. Desideratur etiamnum Egesippi Opus, in quo omnes Actus Ecclesiasticos (ut refert Hieronymus) ad sua usque tempora complectebatur. Periit & liber Eusebii Cæsarienſis, quem de antiquis Martyribus, ut ipse meminit, scrip-

tum edidit. Quàm alia multa tempus rerum edax absumpsit; ut taceam de ἅπαξ εἰρημένοις, quæ ubi semel intercidére, nusquam exstat eorum memoria? Si periisset historia Eusebii, haberemusne Epistolam Viennensium ac Lugdunensium; cùm pulcherrimum illud ac vetustissimum totius Ecclesiæ hoc in genere monumentum non alibi quàm in historiâ Eusebii reperiatur.

Quid si scriptoribus sacris id usu venit, quod profanis solet, qui ea ferè omittunt ac reticent, quæ neminem latuisse suo in ævo existimant? Unde verbi gratiâ novimus ignem gestari solitum ante Romanos Imperatores, nisi ex Græcis auctoribus, si unum Marcum Antoninum excipias, qui & ipse græcè scripsit? Scilicet, Romanis historicis id observatione suâ indignum ratis, quod

cuique

cuique erat obvium lippiſque, ut aiunt, notum & tonſoribus.

Sed ut in re ſacrâ exemplum afferam, quis non miretur Piſcinæ probaticæ apud Judæos celeberrimæ nullam penitùs mentionem fieri à Philone aut Joſepho, qui cetera templi Hieroſolymitani miracula tam ſtudiosè, tam accuratè ſunt proſecuti? Id verò eâ forſan causâ factum, quia Piſcinæ virtus in ſanandis ægris notior ipſis & pervulgatior viſa eſt, quàm ut ejus memoria obliterari unquam ullâ oblivione poſſet. Ad eum ergo modum ſi quis roget cur primis Eccleſiæ temporibus pauci ex Scriptoribus ſacris de morte & Aſſumptione Mariæ Virginis ſermonem habuerint; reſpondeo, quia nulla tum temporis de ea movebatur quæſtio, Catholicis omnibus in eam fidem unanimi conſenſu conſpi-

rantibus quòd mortua esset, animâque & corpore in cælum assumpta. Nam, quod suprà observatum fuit ampliusque infrà demonstrabimus, Ecclesia suis in precibus jam Apostolorum tempore Mariam Virginem animâ & corpore in cælum evectam prædicabat. Hæc verò universim annotasse sufficiat; nunc sigillatim agendum de sanctis Patribus aliisque Scriptoribus, qui traditionis, quam tuemur, veritatem amplexi sunt.

Articulus Primus.

Dionysii verba lib. de Divinis nominibus expenduntur.

Inter Opera quæ Dionysio Areopagitæ graviſſimi Auctores tribuunt, nec hîc repugnat Dissertator, exstat liber qui de Divinis nominibus

inscribitur. In eo locus est insignis de morte Mariæ Virginis, quem ante omnia discutere operæpretium, quia ejus fit mentio à Scriptoribus plurimis, quos traditionis vetustissimæ de assumpto corpore Virginis testes ac vindices dabimus.

Apud ipsos divino Spiritu plenos Pontifices nostros, cùm & nos, (ut nosti) & plerique alii ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud quod auctorem vitæ Deumque receperat, convenissemus: (aderat autem frater Domini Iacobus, & Petrus supremum decus & antiquissimum Theologorum culmen) ubi post contuitum placuit, ut infinitè potentem divinævirtutis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quisque pro captu suo. Ille denique, Hierotheus videlicet, ut nosti, post Apostolos omnibus aliis Doctoribus superior erat. Lib. 3 cap. 4

His ex Dionysii verbis duo

colliguntur. Primum, Mariam Virginem obdormiisse Hierosolymis, quæ communis est sententia Græcorum Patrum, quam sequitur Baronius, probatque egregiè contra Hilduinum, qui verba Dionysii interpretatur de sepulchro Christi; & contra Joannem Erigenam Scotum, Anastasiumque Bibliothecarium in Præfatione ad Carolum Calvum, qui eadem verba intelligunt de corpore Christi in cruce pendente. Alterum, ejusdem Virginis funeri interfuisse Apostolos, quæ pariter communis est sententia Græcorum Latinorumque Patrum. Quod utrumque cur ab adversario negetur, paucis hîc expendendum duximus.

Primùm, ait Virginem Deiparam post passionem Filii apud Joannem dilectum ipsius discipulum, qui Ephesi commoratus

Pag. 75.

est, divertisse, ibique ad exitum usque vitæ permansisse ; idque se colligere putat ex his verbis Modesti Hierosolymitani Antistitis apud Photium : *Historiæ tradunt Magdalenam, de quâ Dominus septem dæmonia ejecit, hanc Virginem fuisse, & Martyrium ejus memoratur ubi dicitur propter summam illius puritatem & Virginitatem occisam fuisse. Post obdormitionem sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ profecta est Ephesum ad dilectum discipulum, ubi cursum Apostolicum per Martyrium unguentifera Maria perfecit.* Phot. Pag. 275.

Equidem, ut verum fatear, perculit initio animum opinionis novitas. Nemo enim, quod sciam, præter Dissertatorem suspicatus est Virginem Deiparam profectam esse Ephesum ibique mortuam. Verùm ubi attentiùs perlegi verba Modesti, dolui conditionem humani ingenii,

quod nusquam adversùs lapsus & hallucinationes satis tutum esse queat, ne in rebus quidem planissimis. Nam ait ne Modestus Mariam Virginem profectam esse Ephesum, ibique mortuam? Minimè. Tu ipse, Lector, verba perpende. Ait quidem Modestus Magdalenam post obdormitionem sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ profectam esse Ephesum. Sed inde-ne sequitur Virginem Deiparam profectam esse Ephesum? Eòne post mortem proficisci potuit? immo contrarium potiùs colligitur; nempe ubi obdormiisset sanctissima Virgo Hierosolymis, Magdalenam profectam esse Ephesum, non anteà. Quid ergo in errorem eum induxit? Nihil aliud suspicor, nisi quia sub finem Modestus loquitur de Maria unguentifera; quod de Virgine Deiparâ intelligi debere

credidit. Sed an ignorat Magdalenam dictam quoque esse Mariam? Deinde vocatur à Modesto unguentifera, quod nominis nusquam datum legitur Virgini Deiparæ. Ergo hactenus integrum manet illæsumque testimonium Dionysii.

Verùm aliunde ipsum impugnat Dissertator, dum ait ne à Baronio quidem admitti. Sic enim scribit: *Post Eusebiani Chronici testimonium Baronius aliud quoddam luculentum de eâdem Assumptione refellit, quod ex libro S. Dionysii Areopagitæ de divinis nominibus sumptum est, in quo Dionysius testatur se ad contuendum corpus illud quod auctorem vitæ Deumque receperat, cum Iacobo fratre Domini, & Petro supremo decore, & antiquissimo Theologorum culmine convenisse, &c.* & post pauca. Pag. 70.

Baronius tamen nec testimonium Pag. 71.

istud Dionysii admittit; imò nullo-modo id congruere contendit ætati, quâ sanctissima Virgo è vivis exiisse dicitur, nec etiam anno Domini 48. quo transitus ejus fuisse vulgò creditur. Et rectè quidem Baronius hæc animadvertit, ac meritò castigat; nam alibi Dionysium anno tantùm Domini 52. conversum à Paulo fuisse testatur.

Et hîc valde hallucinatur Dissertator, nec feliciùs assecutus est sensum Baronii, quàm Modesti; nisi fortè contra propriam mentem hæc scripserit, quod de illo suspicari nolim. Primò, non affirmat Baronius Virginem Deiparam diem extremum obiisse anno Domini 48. immo disertis verbis ait sibi inexploratum esse quonam anno certò decesserit & in cælum assumpta sit; ideò verò de ejus morte tractasse anno prædicto, quòd tum temporis obiisse dicatur ab Eusebio.

sebio. Deinde, tantùm abest ut Baronius Dionysii testimonium de quo agimus, rejiciat; ut potiùs manifestè asserat, nisi ipso stante, constare non posse permulta quæ de morte Mariæ Virginis referuntur. Quò fit ut variis opinionibus confutatis de ætate quâ B. Virgo decessit, descendat in sententiam Epiphanii Presbyteri & Cedreni, qui censent non nisi 72. ætatis suæ anno mortuam esse. Quo posito, mirè conciliari putat Baronius quæcumque ad historiam ejus obitus pertinent; putâ, Dionysium à Paulo conversum esse Athenis anno Domini 52; cum eo veniisse Hierosolymam; ac cum Apostolis interfuisse funeri Deiparæ Virginis, circa annum Christi 59. neque enim, quod jam observavi, asserit Beatam Virginem mortuam esse anno 48. sed audiendus ipse Baronius,

Si igitur aliquo antè dictorum anno Dei genitricem esse defunctam dixerimus, nequaquam potuit Dionysius ejus funeri interfuisse. Ipse enim nedum hoc anno vel sequenti, sed nec usque ad 52. annum Domini, cùm Paulus Athenas venit, conversus est ad fidem. Imò ex Lucâ, qui mirâ diligentiâ ex eo tempore cuncta loca ad quæ Paulus accessit, & tempora quibus in iis permansit, usque ad ejus Hierosolymam adventum relegit, liquidò apparet, ipsum non ante annum Domini 57. Hierosolymam venire potuisse. Cui ætati si 14. vel 15. addas annos quibus sanctissima Virgo vixit cùm peperit Salvatorem, manifestè colliges ipsam eo anno quo Paulus novissimè Hierosolymam venit, egisse ætatis annum 72. quo ipsam ex hac vitâ migrasse Epiphanius Presbyter & Cedrenus, quos retulimus, affirmarunt. Quibus si consenserimus, iis-

dem æquè aptari possunt quæ scribit Dionysius, ut de Sacro-sancto Dei genitricis corpore voluerit intellexisse; quo quidem sensu accepisse noscuntur verba illa Græci omnes.

Ergo non rejicit Baronius laudatum Dionysii testimonium, quod jure luculentum à Dissertatore appellatur. Immò asserit, si auscultemus Dionysio, cur maximè hîc auscultandum existimat, stare omnia quæ continentur antiquâ traditione à temporibus Apostolorum ad nos usque deducta; scilicet, quòd Beata Virgo ubi vitâ functa esset, non animâ solùm in cælum iverit, (quod commune Sanctis omnibus qui sordibus expurgati è vitâ discedunt) sed corpore etiam illuc assumpta fuerit.

Quòd autem Apostoli Mariæ Virginis morti & sepulturæ interfuerint, testantur, ut jam di-

xi, Græci Latinique Patres (à quibus cur dissentire velit Dissertator non video ;) quorum verba tum à nobis adducentur cùm illos de assumpto corpore Virginis sententiam ferentes inducemus. Idem testantur recentiores omnes qui laudatum Dionysii locum interpretati sunt. Monemus tamen, ita nos in traditione, de quâ loquimur, propugnandâ versari, ut hanc præcipuè veritatem asserendam susceperimus, quòd Beata Virgo surrexit è tumulo, nec animâ solùm, sed & corpore in cælum est evecta. Non enim quæcumque eidem traditioni admixta sunt, pari certitudine agnoscenda defendimus.

Articulus Secundus.

De Iuvenale Hierosolymitano.

Cum traditio, de quâ loquimur; ortum duxerit Hierosolymis, quandoquidem Virgo Deipara ibi mortem oppetiit; qui testimonium de eâ ferre possit nemo magis idoneus quàm Juvenalis, quippe qui eidem urbi diù præfuit Archiepiscopus. Quænam autem esset antiqua fides Hierosolymitanæ Ecclesiæ de Assumptione Virginis liquidò exposuit hac occasione. Nam cùm apud Chalcedonem ageret tempore quarti Concilii generalis cui intererat, eidem accitò cum aliis Palestinæ Episcopis Marcianus Imperator sanctaque Pulcheria exposuerunt, sibi placere ut corpus B. Virginis quod esse conditum in loculo apud

Gethsemanem acceperant, transferretur Constantinopolim, ornandæ Basilicæ causâ, quam in Blachernis ædificari curaverant. Quid verò Iuvenalis? Negavit id fieri posse. Rationem addidit. *Quoniam ex priscâ & verissimâ traditione acceperat, sanctos omnes Apostolos temporis puncto per altum abreptos in Hierusalem convenisse; corpus autem Virginis funere elatum apud Gethsemanem, & in loculo conditum, post tres dies interveniente Thomâ, qui funeri non interfuerat, haudquaquam inventum esse. Itaque mysterii illius admiratione perculsos, hoc solùm secum reputare potuisse, quòd Deus verbum ac gloriæ Dominus immaculatum ac spurcitici expers ipsius corpus incorruptibilitate ac translatione ante communem ac generalem resurrectionem honestare voluerit. Porrò tum unà cùm Apostolis sanctissimum ac primum Ephesiorum*

Episcopum Timotheum, & Dionysium Areopagitam, quemadmodum ipsemet Dionysius testatur, adfuisse, &c.

Si ergo fides habenda Juvenali (cujus verba in compendium contracta, fusiùs posteà referemus,) ejus temporibus, hoc est quinto ineunte sæculo, prisca erat & verissima traditio, Mariam Virginem corpore in cælum evectam esse. Cur autem ei non credatur? Ideòne quia non Iuvenalis ipse hæc profert, sed tanquam ab ipso prolata referuntur à sancto Damasceno ex historiâ Euthymiacâ? An de suo commentus est Damascenus narrationem istam? aliorumne fraude ad eam referendam inductus est? Sed istiusmodi suspicionem omnem posteà repellemus. Neque verò cùm adeò locuples testis adducitur, etsi cæteri tacuissent, de rei narratæ verita-

te dubitari oporteret.

Quamvis autem adversùs hoc Juvenalis testimonium nonnulla objiciat Dissertator, (quibus ubi de Damasceno fiet satis) non negat tamen traditionis antiquitatem. Quærit solummodo, seu potiùs Theologis inquirendum relinquit, cujusmodi sit ista traditio; de numero traditionum Apostolicarum necne. Sic enim scribit. *Et hæc est traditio illa antiqua, quæ de Assumptione corporali B. Virginis allegatur: de qua quidem, an ex numero traditionum censenda sit, quæ ab Apostolis descendentes* semper & ubique & ab omnibus creditæ, *juxta regulam fidei Catholicæ à Vincentio Lyrinensi contra hæreses constitutam, inviolatè teneri debeant, Theologis definiendum relinquo.* Pag. 123.

Porrò quàm facilè nodum solvere, quem aliis solvendum

proponit. Traditionum duo ſunt genera. Aliæ divinæ ſeu Apoſtolicæ. Aliæ Eccleſiaſticæ, quarum & aliquæ Apoſtolicæ ſunt ac dicuntur. Prioris generis eæ ſunt, quæ immediatè revelatæ fuere Apoſtolis, quaſque Spiritu ſancto inſpirante acceperunt; quæ proinde certitudinem fidei divinæ habent. Exemplo ſit puerorum Baptiſmus, quem qui negaverit in hæreſim incurret, quamvis de illo nihil, expreſsè ſaltem, habeatur in Scripturâ Sacrâ; ſed quia ſub traditione divinâ continetur.

Poſterioris generis traditiones eæ ſunt, quæ ab Apoſtolis quidem dimanarunt; verùm tanquam ab Epiſcopis ſeu Rectoribus Eccleſiarum, quibus multa incumbebat ſtatuere ac tenenda proponere, quæ ab ipſo Chriſto immediatè non acceperant. Verbi gratiâ ex Apoſtolica tra-

ditione descendit celebrandum esse Pascha 14. lunâ primi Mensis; sed hæc traditio non est divina aut Apostolica prioris generis, quia revelata non fuit. Ad eum modum multa statuerunt proposueruntque Apostoli circa res sacras, de quibus nihil divinitùs traditum erat. Consuli potest Tertullianus lib. de Coronâ militis cap. 3. ubi plurima profert exempla ejusmodi traditionum Ecclesiasticarum, quæ ab Apostolorum temporibus ortum duxerunt, quarum auctoritatem mirum in modum commendat.

Jam ergo ad propositam quæstionem respondeo. Traditio ista pervetus, quâ Beata Virgo in cælum corpore translata dicitur, non est quidem prioris generis, cùm auctoritatem Dei revelantis in se non habeat. Sed posterioris generis esse quis neget?

Cùm eam ſemper Eccleſia receperit ab Apoſtolis ipſis derivatam & fidelibus populis per continuam ferè ſeptemdecim ſæculorum ſeriem agnoſcendam propoſuerit ; ac proinde ſi non habet hæc traditio certitudinem fidei divinæ , eam tamen habet cui ſi quis adverſetur , in errorem graviſſimum incurrat. Quapropter Melchior Canus gravis ſcriptor *petulantis temeritatis* accuſat , qui dixerit Beatam Virginem non eſſe in cælos cum corpore aſſumptam , quia nempe communi Eccleſiæ conſenſioni repugnat. Quin & iſtam temeritatem inter errorum gradus conſtituit , qui quoniam hæreſum appendices ſunt , à fidei judicibus ſunt animadvertendi. Ecce tibi ipſiſſima ejus verba. *Quæ igitur non inconſultà oratione modò , ſed ut verbis utar gravioribus , confidenti audaciâ , inſolentiâ* Lib. 12 cap. 4.

protervâ, exultatione impudenti, jactatione superbâ, non contra fidem dico, sed contra Ecclesiasticæ modestiæ regulam asseruntur; ea Theologi in præsenti temeraria censent, atque inter errorum gradus constituunt & locant, qui quoniam hæresum appendices sunt, à fidei judicibus sunt animadvertendi; ut Beatam Virginem non esse in cælos cum corpore assumptam, quod licet fidei minimè adversum sit, sed quia communi Ecclesiæ consensioni repugnat, petulanti temeritate diceretur.

Articulus Tertius.

De sancto Sabba.

QUI laudatum Iuvenalis testimonium hactenus impugnant, hoc maximè utuntur argumento; scriptores nullos es-

se Iuvenali æquales, qui eamdem Hierosolymitanæ Ecclesiæ traditionem de assumpto corpore Virginis apertè commemoraverint. Quamquam autem non continuò sequitur nutare fidem historiæ quæ ab uno tantùm scriptore literis mandata sit; eò tamen hîc confugere nihil necesse est. Commodè enim occurrit traditionis ejusdem testis ac vindex sanctus Sabbas, non æqualis modò Juvenali, sed & ejusdem urbis incola; ambo siquidem vixerunt eodem tempore Hierosolymis; hic Patriarcha Hierosolymitanus; ille in Laura, celeberrimo tum Monasterio, Monachus. Multa de eo Baronius tum in Annalibus Ecclesiasticis, tum in notis ad Martyrologium Romanum, in quo hæc habentur: *Nonis Decembris, Mutalæ in Cappadocia sancti Sabbæ Abbatis, qui in Palæstina mi-*

ro sanctitatis exemplo refulsit, & pro fide Catholicâ adversùs impugnantes sanctam Synodum Chalcedonensem strenuè laboravit. Ut autem sua constet auctoritas S. Sabbæ ad ea confirmanda quæ retulimus ex Juvenale; nonnulla hîc observare libet, quæ si Dissertatoris diligentiam non fugissent, sine dubio valere jussisset Usuardum.

Nemini dubium est Ecclesiam Græcam, pariter ut Latinam, suos semper habuisse Ritus in peragendis Officiis divinis; initio quidem, ut fit, imperfectos nulloque certo usu, sed variè à variis traditione quâdam usurpatos; deinde verò in ordinem ac certam normam redactos iisque libris comprehensos qui Menologia, seu potiùs Menæa appellantur. Sunt autem nihil aliud Menæa quàm duodecim Codices Ecclesiæ Græcæ, quibus

continentur per singulos singulorum mensium dies, variæ Dei Deiparæque ac Sanctorum laudes in templis Græcorum sub divinis Officiis decantari consuetæ.

Diù quidem dubitatum fuit de auctore seu collectore primo Menæorum. Nunc autem re diligentiùs examinatâ, compertum est eam laudem tribuendam S. Sabbæ. Enimverò duplicis generis Cantica in Menæis reperias, quorum priora, ut antiquitate, sic multitudine reliquis præstant, sed nullis omnino Auctorum nominibus commendantur; cætera verò, quamquam pauciora, Auctorum suorum titulis insigniuntur, quorum plerique ante octingentos, septingentos, aut sexcentos plùs minùs annos Ecclesiam Græcam illustrarunt. Antiqua igitur illa Cantica collecta primùm fuisse

à S. Sabbâ hoc modo demonstratur.

Exstat inter reliquos Ecclesiastici Græcorum corporis tomos Typicum Hierosolymitanum sive Rituale antiquissimum, à sancto Sabba pro Laura, seu Monasterio Hierosolymitano conscriptum. In eo Rituali innumera pæne Cantica nominibus Auctorum carentia, per suos in templo Monachos usurpanda duobus tantùm verbis signat sanctus Sabbas. Porrò, collatis diebus Menæorum cum diebus per S. Sabbam in Rituali ordinatis, manifestè apparet Cantica omnia quæ S. Sabbas in Rituali primis tantùm verbis significavit, integerrimo textu & eodem prorsùs ordine in Menæis collocata, quo ea S. Sabbas in Rituali tanquam in Indice quodam notaverat. Cui igitur dubium sit primam Menæorum collectionem

lectionem S. Sabbæ tribuendam?

Cùm verò succeſſu temporum, maximè autem graſſantium Barbarorum furore Menæa pæne interiiſſent, à Sophronio primùm, deinde à Joanne Damaſceno priſtino nitori reddita ſunt, additis ab utroque plurimis Odis in laudem Sanctorum qui poſt S. Sabbæ tempora vixerunt. Ita-ut Menæorum collectores ſive inſtauratores præcipui cenſendi ſint Sabbas, Sophronius, Damaſcenus. Quodque hîc obiter monemus; ille ipſe ordo qui ab eis præſcriptus fuit in divinis Officiis peragendis, habeturque in Menæis, etiamnum ſervatur in Eccleſiis Græcorum, non à Monachis ſolùm, ſed etiam à laicis.

Etſi autem quæ hîc annotamus per ſe ſatis pateant legentibus Typicum S. Sabbæ & Me-

næa, plurimùm tamen confirmantur testimonio Simeonis Thessalonicensis, qui annis ab ævo nostro plus sexcentis inclaruit. Is enim Typici historiam, illiusque pro tempore mutationem prosecutus est Dialogo contra hæreses. Ejus hæc sunt verba apud Leonem Allatium Dissertatione primâ de libris Ecclesiasticis Græcorum.

Deprecor vos in Christo, ut ordinem hunc in perpetuum conservetis, & veluti scintilla quædam divina traditio Patrum perseveret; quam cùm & ipsi volimus, ut incorrupta conservetur, & veluti condimentum quod dulcedinem conciliat, persistat, illi & Canones subjunximus, ne quis circa bona murmurator & Ordinis ignarus, qui nimmò piger ac segnis nonnullis adinventis prætextibus illius destructionem machinetur; non solitos inquiens, & qui ab omnibus ca-

nuntur Canones audiri. Nunc enim & hi additi sunt. At his qui attentiùs animum applicant, alacrioresque sunt, ordinatior & suavior eo qui in Monasteriis & aliis ferè omnibus Ecclesiis fit, qui ex Hierosolymitano Typico Monasterii sancti Sabæ ordo præscribitur, accedit. Quod scilicet ab uno eoque solo perfici potest. Quando & à Monachis dispositum est, & absque cantu in Cœnobiis absolvatur. Et hæc quidem constitutio quàm maximè necessaria & Patribus convenientissima est. Etenim sanctus Pater noster Saba eam præscripsit à sanctis Euthymio & Theoctisto acceptam: hi porrò à majoribus & homologeta Charitone desumpserunt. Sacri verò Sabæ constitutionem, ut audivimus, locis illis irruptione Barbarorum vastatis deperditam, sanctus Pater noster Sophronius sanctæ civitatis Patriarcha studio laboreque restituit; & post cum rursus divinus & rebus

Theologicis pertractandis acerrimus Ioannes Damascenus renovavit, scriptoque demandatam tradidit.

Constat igitur ex verbis Simeonis, Typicum seu Rituale Hierosolymitanum à sancto Sabbâ concinnatum; ita tamen ut quæ in illo præscribitur constitutio circa divinum Officium non ab illo primùm profecta sit, sed eam acceperit à sanctis Euthymio & Theoctisto, hi autem à majoribus, & Charitone Confessore. Quia verò hinc evidenter patet antiqua & perpetua series traditionis quam investigamus de assumpto corpore Virginis, pauca de tribus illis Palæstinæ syderibus à Simeone laudatis delibanda sunt.

Natus est sanctus Charito sub finem tertii sæculi, cùm Martyrologium Sirleti testetur 27. Sept. hunc ipsum Charitonem Christianæ Fidei professione co-

ram Paganis illustrem; denique persecutionibus illis à Constantino magno sedatis Hierosolymam venisse sub Patriarcha S. Macario, qui anno 312. Sedem illam ornavit. Idem Charito Monasteriorum circa Hyerosolymam præcipuus institutor fuisse perhibetur.

Non multis pòst annis, videlicet anno 377. natus est venerandus Euthymius, quem à zelo Catholicæ disciplinæ & virtute miraculorum Romanum quoque Martyrologium prædicat, nimirum 20. Januarii, quo eodem die Menæa præclarissimo elogio ipsum exornant.

Hujus socius religiosissimæque vitæ collega fuit Theoctistus, cujus meminerunt Menæa 3. Sept. Cyrillus autem Monachus vitæ S. Euthymii scriptor hæc de utroque refert. *Ambos verò rerum similium & laborum societas*

ita colligavit vinculo charitatis, & usque adeò sunt inter se contemperati, dilectione spiritus, ut uterque eorum esset positus in animâ alterius, & quæ eorum alter sentiret, ea etiam cordi essent alteri.

Tales fuere Charito, Euthymius, & Theoctistus, à quibus Simeon Thessalonicensis testatur sanctum Sabbam per traditionem accepisse suam illam divini in templo Officii normam ac methodum. Sed quorsum hæc? Videlicet ut intelligatur quanti fieri debeant Menæa Græcorum. Neque enim (quod nonnulli minùs rectè suspicantur) ignobilium Græciæ Monachorum Cantilenæ in iis continentur; sed ejusmodi Cantica, magnam saltem partem, quæ in templis Græcorum decantari consueverant; quibus proinde fideliſſimè exhibetur antiqua traditio Ecclesiæ Græ-

cæ, Hierosolymitanæ præsertim. Nam quemadmodum sanctus Sabbas divini Officii methodum pro Laura conscriptam acceperat à sancto Charitone, qui vitæ partem exegit tertio sæculo; ità dubium non est quin sanctus Charito à majoribus accepisset; illi ab aliis se antiquioribus; atque adeò quin ab Apostolis ipsis primùm descenderit, cùm ex pervulgatâ Theologorum sententiâ res illæ quæ in Ecclesiâ communiter sunt receptæ, quarum origo prima nescitur, ab Apostolicis usque temporibus tanquam fonte manare credantur.

Quæ autem de Menæorum pretio ac dignitate hîc asserimus, abundè confirmantur judicio & auctoritate Cardinalium Sirleti ac Baronii. Nam Sirletus, quem ab omnigenâ eruditione docti omnes commen-

dant, cùm Menæorum quoddam Compendium antiquissimum sub Menologii nomine reperisset, illud latinitate donavit, manuque propriâ majori ex parte conscriptum in Bibliothecâ suâ diligentissimè asservabat. Quod quidem tanto non habuisset in pretio, si inter tot Cœlites, quos Latinis incognitos Græcia colit, quicquam vel erroris vel fraudis subodoratus fuisset.

Quanti verò Baronius hoc idem Menologium fecerit, testatur ipse tertio nonas Januarii; ubi, *Passus reperitur*, inquit, *Gordius sub Licinio Imperatore, ut legimus in pervetusto Menologio, quod asservatur in Bibliothecâ Guilielmi Sirleti Cardinalis amplissimi, illudque ab ipso latinitate donatum, propriâque manu majori ex parte conscriptum, velut ingentem thesaurum, ejus liberalitate possideo,*

possideo, & (ut Hieronymi verbis utar de Codice Pamphili Martyris) tanto amplector & servo gaudio, ut Cræsi opes habere me credam. Quid autem dicturus erat Baronius de ipsis Menæis Menologij fontibus, si hunc rivum inde manantem tanti æstimavit, ut se Crœsi divitias possidere censeret? Neque enim Menæa cognita fuerunt Baronio.

Itaque cùm in pluribus Menæorum Canticis, iisque antiquissimis, Maria Virgo prædicetur corpore assumpta in cælum, non immeritò dixisse videor, Usuardi patrocinium haudquaquam susceperturum Dissertatorem, si quæ de Menæis observavimus ejus in mentem venissent. Ea si volet consulat ipse. Nos sancti Sabbæ Cantica duo, è quibus de cæteris judices, exscribere satis habebimus.

Θαῦμα φεικοΝ ἓσατον. ἡ ἐν γα-

ρί τ ἀχώρητον βασιλέα βαστάσα σα τάφῳ κατατίθεται. Ἐ ἀγγέλων δήμοι σὺν τοῖς Ἀποστόλοις φόβῳ κηδεύουσιν αὐτῆς τὸ θεοδόχον σῶμα Ἐ τίμιον. Ἐ ὅτο ὃ μετάρσιον εἰς οὐρά νους ἀνεβιβάσεν Ἰησοῦς ὁ υἱ αὐτῆς κ σωτὴρ τ ψυχῶν ἡμ.

» O Prodigium horrore ſacra-
» tiſſimo plenum. Illa quæ in-
» comprehenſum omnibus Regem
» portavit in utero jam modò ad
» ſepulchrum portatur, & Ange-
» lorum multitudo cum Apoſtolis
» obſervant venerabundi ſanctum
» ejus corpus quod Deum in ſe re-
» cepit; & iſtud corpus ſublevavit
» in cælum Jeſus Filius ejus & ſer-
» vator animarum noſtrarum. Ex
» Men. 18. Aug. in Veſp. de SS.
» MM. Floro & Lauro.

Εφρετε τοῖς αὐτόπταις τ λόγου Ἐ ὑπηρέταις Ἐ τ κ σαρκὸς μή τηρ αὐτ τῷ κοίμησιν ἐποιήσαμ; τελώνιον ὅσον ἐπ' αὐτῇ μυχεῖον ἵνα μὴ μόνον τῷ ἐπὶ γῆς τ σωτῆ-

ρῶ ἀνάβασιν θεάσονται; ἀλλὰ ἓ ἡ τεκούσης αὐτὸν τῇ μεταθέσει μαρτυρήσωσι. διὸ πάντοθεν θείᾳ δυνάμει πορωθέντες τὸν σὸν κατελάμβανον καὶ πρὸς οὐρανὸν ἐπειγομένῳ προέπεμπον.

Ad rationem decori pertinebat, ut qui Miniſtri ac Spectatores verbi divini fuiſſent, etiam matris è quâ illud incarnatum erat, obdormitionem præſentes inſpicerent, velut ultimum quod ipſi peragendum erat Myſterium; quo ſcilicet non modò ſervatorem de terrâ in cælum aſcendentem coram ſpectarent, verùm etiam de genitrice illius ad ſuperos tranſlatâ oculati teſtes exiſterent. Quapropter omnibus è locis, vi quâdam divinâ per tot terrarum ſpatia tranſportati convenerunt in Sion, & deduxerunt quodammodo Virginem ad cælum ingrediendum properantem. Ex Men. 15. Aug. in ma-

„ joribus Vesperis de obdormitio-
„ ne B. Virginis.

Quid certius aut expressius optari potest his verbis, ad confirmandam traditionem de quâ loquitur Juvenalis apud Damascenum ? Ait disertis verbis sanctus Sabbas Mariæ corpus *à Jesu Filio sublevatum in cælum.* Addit sanctos Apostolos oculatos testes extitisse illius ad superos translationis ; ac propterea *omnibus è locis convenisse in Sion. Vt quodammodo deducerent Virginem ad cælum ingrediendum properantem.*

At, inquit Dissertator, non est probabile Apostolos vi quâdam divinâ per tot terrarum spatia transportatos in Sion, ut funeri B. Virginis interessent. Primùm, non negabit id fieri potuisse. Deinde nihil etiam afferet quo non esse factum convincere possit. Sed esto, non sint deportati Apostoli. Ideòne nu-

tabit Hiſtoria, & ea quidem Hiſtoria quam non Juvenalis modò & ſanctus Sabbas referunt, ſed plures alij graviſſimi fideque digniſſimi auctores, quos deinceps laudabimus? Iniquus ſit Diſſertator ſi hoc contendat, atque eo innumeras hiſtorias, quarum non vacillat fides, labefactaret ac convelleret.

Jam ſi Odæ Menæorum quamplurimæ, quæ Joannis Archiepiſcopi nomine inſcribuntur, auctorem habent Joannem Chryſoſtomum, (quæ non incerta videtur conjectura Doctorum) traditionis ejuſdem locupletiſſimum teſtem habemus in quarto ſæculo. Nam ſanctus Chryſoſtomus natus eſt anno 354. Neque ſemper cognominatus eſt Chryſoſtomus; ſed Joannis duntaxat nomine, tum ab Hieronymo & Auguſtino, tum ab aliis ſæpiſſime eſt appellatus.

Quidni autem & cum illo censeamus Gregorium Nazianzenum eodem quarto sæculo natum? Nam quî possint aliter intelligi quàm de Assumptione Virginis in corpore immortali, hæc ejus Carmina in Tragœdiâ de Christo patiente?

O ter Beata Mater, ô lux Virginum,
Quæ Templa Cæli lucidissima incolis,
Mortalitatis liberata sordibus
Ornata jam immortalitatis stolâ.

Nimirùm ideò immortalitatis stolâ donata Virgo canitur, quia corpus ejus mortis corruptioni non fuit obnoxium, sed vitâ immortali in cælo fruitur. Ita ut, si fas sit dicere, Græciam totam jampridem adversùs Dissertatorem armatam, & acerrimè nobiscum depugnantem habeamus.

Articulus Quartus.

De Gregorio Turonensi.

Gregorii Magni, qui sexto sæculo vixit, mentionem fecimus. Gregorium alterum eodem sæculo natum audiamus. Is est Gregorius Turonensis, vir magnæ auctoritatis in historiâ, quem Dissertator ipse plurimi facit, & cujus propemodum judicio stare velit. Quid ergo ille? In enarrandâ morte Virginis eamdem traditionem sequitur quam ex Juvenale retulimus. Sic enim scribit.

Denique impleto à Beatâ Mariâ hujus vitæ cursu, cùm jam vocaretur à sæculo, congregati sunt omnes Apostoli de singulis regionibus ad domum ejus. Cumque audiissent quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum eâ simul, &

ecce Dominus Iesus advenit cum Angelis suis & accipiens animam ejus tradidit Michaëli Angelo, & Lib. 1. de Miraculis. *recessit. Diluculò autem levaverunt Apostoli cum lectulo corpus ejus, posueruntque illud in monumento, & custodiebant ipsum, adventum Domini præstolantes; Et ecce iterum adstitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nubem deferri jussit in paradisum, ubi nunc resumptâ animâ cum electis ejus exultans, æternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur.*

Maria verò gloriosa genitrix Christi, ut ante partum, ita Virgo creditur & post partum, quæ ut L. 1. Mirac. cap. 9. *suprà diximus Angelicis Choris canentibus in paradisum Domino præcedente translata est.*

Tria docet Gregorius Turonensis. Unum, Deiparam Virginem verè mortuam. Alterum, ejus funeri interfuisse Apostolos. Tertium, resuscitatam & as-

sumptam in cælum. Quæro. Si tunc temporis, hoc est sexto sæculo, dubia aut incerta fuisset hæc de assumpto corpore traditio, nonne id insinuasset Gregorius uno saltem verbo? Nonne scripsisset, maximam quidem partem fidelium in eam sententiam propendere, non deesse tamen qui de illâ dubitent? Verùm aliter se gerit Gregorius. Asseveranter omnino loquitur, remque proponit tanquam fidelium communi tum consensu receptam.

Quid agat Dissertator? Probat eatenus hoc Gregorii testimonium *quòd de Apostolis per æthera uno momento ad domum Mariæ morituræ devectis quæ alii narrarunt reticeat & congregatos eos tantummodò refert de singulis regionibus, non expresso modo.* Verùm hinc ei fidem demere conatur, *quòd aliud quoddam subnectat de* Pag. 78.

Michaële Angelo, quod non magis constare ait, quàm miraculum de Apostolis in altum sublatis; quòd-que ibidem *de susceptο corpore sancto in nube, jußuque Domini adstantis in paradisum delato aliquid addidisset*, quod, inquit, *non magis convenit.*

Sed quis non videat quàm inanis hæc rejiciendi Gregorij causa? Si enim ideò fidem non meretur in reliquâ narratione, quiâ scripsit *Iesum accepisse animam B. Mariæ, & tradidisse Michaëli Angelo; & corpus ejus susceptum in nube ac jussu Domini adstantis in paradisum delatum esse:* Pari jure fides ei deroganda in universâ quam scripsit historiâ. Cur enim huic tantùm narrationi noceat suppositititium istud de Michaële Angelo? Suppositititium dico in sensu Dissertatoris, cui absque ullâ ratione de illo placet dubitare. Si enim Theologis placet,

juſtorum animas ab Angelis duci in cælum ; eò ſubvectam eſſe à Michaële Virginem ſanctiſſimam nulli forſan anile prorsùs ac fabuloſum eſſe videbitur. Sed demus dubium eſſe ; ſæpe diximus, ſi nutet veritas hiſtoriarum quoties eis aliquid dubii admixtum ſit, vix ullam fore quam repudiare non poſſis. Itaque ſtat hoc Gregorii Turonenſis teſtimonium, uſque dum Diſſertator ejus rejiciendi cauſam idoneam protulerit. Sit-ne præſiturus valde dubito, ne infenſos habeat ſcriptores hujus ævi quamplurimos, qui unà fere Gregorii Turonenſis auctoritate opiniones ſuas tuentur ac propugnant.

* * † * *
IHS

Articulus Quintus.

De S. Sophronio Patriarcha Hierosolymitano.

Vix se aperit sæculum septimum, cùm traditionis ejusdem quàm tuemur magnus testis adest Sophronius, qui anno 633 Hierosolymis Patriarchatum accepit. Ejus mentionem faciunt Græci in Menologio die 11. Martij, his verbis. *Sancti Patris nostri Sophronij Patriarchæ Hierosolymitani ex civitate Damasco, multiplici eruditione divinarum literarum scientiâ & pietate insignis.* Eadem die colendus proponitur in Martyrologio Romano. Sed hæc laus ejus præcipua, quòd alter post S. Sabbam Menæorum instaurator exstitit. Nam cùm illa tota divini Officij forma, quam S. Sabbas pro

Laura Hierosolymitana descripserat, ob irruptionem vastantium omnia Barbarorum obliterata esset, denuò ab ipsis quasi cineribus per Sophronium excitata fuit & instaurata. Contigit autem hæc Ecclesiæ Hierosolymitanæ vastitas anno Christi 615. cùm nempe sub Heraclio Imperatore Chosroas Persarum Rex Palæstinam diripuit, & urbe Hierosolymorum vastatâ, sanctam Crucem transportavit in Persidem. Quâ calamitate finitâ, Sophronius instaurando divino Officio mentem applicuit. Quapropter cùm nihil frequentius & expressius habeatur in Menæis quàm Beatam Virginem animâ & corpore iviſſe in cælum, quis credat Sophronium, qui ea restituit, & cujus nomen in eis passim legitur, traditionem Ecclesiæ Hierosolymitanæ, cui præerat, ignorasse, & si non ignoravit, secutum non esse?

Eodem sæculo natus est venerabilis Beda, nempe anno Christi 663. cujus sententiam de assumpto corpore Virginis cùm ex ejus Martyrologio retulerimus, non est quòd hîc de illo pluribus agamus.

Articulus Sextus.

De S. S. Damasceno, Cosmâ, Germano, Andreâ Cretensi.

Tot inter Marianæ Assumptionis vindices, qui octavo sæculo floruere, primum locum sibi vindicat Damascenus, Usuardi nondum nati veluti ex professo impugnator & acerrimus hostis; quem unum si opponamus Dissertatori, satis præsidij adversùs conjecturas ejus iuanes & imbelles conatus habebimus. Præclara de eo circunferuntur elogia. *Vir fuit,*

inquit Suidas, *eloquentissimus, nec ulli eorum secundus qui ipsius tempestate claruerunt laude doctrinæ.* Dictus est ab aliis Chrysorroas, tanquam aureo eloquentiæ fluvio celebris. Denique, Cedreno teste, omni divinâ & humanâ cognitione excultus fuit. Vixit in Laurâ Hierosolymitanâ Monachus. Natus autem videtur annis pluribus post obitum Sophronij, cui successit in illo munere instaurandi divini Officij. Nam cùm imperante eodem Heraclio Saraceni post longam obsidionem (cujus tædio occubuit Sophronius anno 636.) Hierosolymitanam urbem cepissent, sancti Sabbæ Codicibus sacris per illos primos irruentium Saracenorum furores vastatis, denuò manum reparatricem admovit Damascenus. Neque tantùm quæ dispersa fuerant collegit, sed & ipse Odas plu-

rimas seu Cantica composuit, quæ etiamnum leguntur in Menæis. Unde dolendum Editoribus Librorum sancti Damasceni, alioquin diligentissimis, non venisse in manus illos Græcorum Ecclesiasticos Codices, quos si legissent, copiosa potuisset accessio fieri operibus S. Damasceni.

Ad rem quod attinet, sanctus Damascenus qui scribendis Mariæ laudibus excelluit, duas præsertim edidit orationes, in quibus eam corpore in cælum assumptam multis validisque argumentis propugnat. In priori quæ inscribitur *de Beatæ Mariæ Dormitione*, sic loquitur. *Nam cujus in partu incolumis virginitas mansit, eadem è vitâ migrante, corpus ita conservatum est, ut non dissolutum, sed ad præstantiorem & diviniorem vitam, quæque non jam morte interrumpatur, verùm in infinita*


image
not
available

hiſtoriâ Euthymiacâ deprompſit Damaſcenus, quamquam paulò prolixiora, hîc exſcribam.

„ Videtis ergo, Patres ac Fratres, quibus verbis celeberrimum „ illud templum ad nos utatur. „ Quod autem hæc ita ſe habeant „ liquet ex Euthymiacâ hiſtoriâ, in „ quâ libro tertio cap. 40. diſertè „ ita ſcriptum eſt. Superiùs com„ memoratum eſt quemadmodum „ ſancta Pulcheria Chriſto in urbe „ Conſtantinopolitanâ plures con„ ſtruxit Eccleſias. Harum autem „ una eſt ea quæ in Blachernis „ ædificata eſt primis annis Impe„ rij Marciani divæ memoriæ. „ Cùm igitur celeberrimæ ac ſan„ ctiſſimæ Dei genitrici perpetuæ„ que Virgini Mariæ venerandam „ ædem illic exſtruxiſſent, atque „ omnibus ornamentis illuſtraſſent, „ ſanctiſſimum, quodque Deum ſuſ„ cepiſſet, corpus conquirebant; „ accitoque Juvenali Hieroſoly-

morum Archiepiſcopo ac Palæ- "
ſtinæ Epiſcopis, qui tum ob "
Concilium Chalcedone coactum "
in Imperiali urbe verſabantur, "
his eos verbis alloquuntur. Hie- "
roſolymis principem & eximiam "
Dei genitricis ac perpetuæ Virgi- "
nis Mariæ Eccleſiam eſſe audi- "
mus, in eo loco qui Gethſe- "
mane vocatur, ubi corpus ipſius, "
quod vitam tulit, in loculo con- "
ditum eſt. Placet itaque has re- "
liquias huc afferri, ut imperatri- "
ci huic urbi præſidio ſint. Exci- "
piens autem hunc ſermonem Ju- "
venalis, in hæc verba reſpondit: "
Et ſi quæ in ſanctæ Dei genitricis "
Mariæ morte contigerunt Sacræ "
divinitus inſpiratæ Scripturæ mo- "
numentis minimè proditæ ſunt; "
tamen ex priſcâ ac veriſſimâ tra- "
ditione hoc accepimus; quod "
glorioſi ipſius obitus tempore "
ſancti omnes Apoſtoli, qui gen- "
tilium ſalutis cauſâ terrarum or- "

» bem peragrabant, temporis mo-
» mento per altum abrepti in Hie-
» rusalem convenerunt. Ibique
» cùm essent, Angelica ipsis visio
» contigit, divinusque præstantio-
» rum virtutum cantus auditus est;
» sicque cum divinâ ac cœlesti glo-
» riâ in manus Dei animam san-
» ctam commendavit; ejus autem
» corpus, quod Deum susceperat,
» cum Angelico & Apostolico can-
» tu funere elatum, apud Gethse-
» manem in loculo conditum est.
» Quo quidem in loco Angeli to-
» tos tres dies choros agere, atque
» canere non destiterunt. Cùm
» autem ipsi exactis tribus diebus
» canendi finem fecissent, Apo-
» stoli qui aderant, propterea quòd
» unus exipsis, Thomas nimirum,
» qui funeri non interfuerat, post
» tertium diem veniens, corpus
» illud, quo Deus susceptus fue-
» rat, adorare cupiebat, tumulum
» aperuerunt. Ac sacratissimum

quidem illud corpus haudqua- «
quam invenire potuerunt ; cùm «
autem jacentia tantùm ipsius lin- «
tea reperissent, atque ex iis ine- «
narrabili quadam suavitate per- «
fusi fuissent , loculum clause- «
runt. Atque mysterii illius ad- «
miratione perculsi , hoc solùm «
secum reputare poterant , quòd «
Deus verbum ac gloriæ Domi- «
nus, qui in personâ propriâ car- «
nem ex eâ induere ac fieri homo «
voluerat , idem etiam , post dis- «
cessum è vitâ , immaculatum ac «
spurcitiei omnis expers ejus cor- «
pus , incorruptibilitate ac trans- «
latione ante communem & ge- «
neralem resurrectionem hone- «
stare voluisset. «

Aderant porrò tum unà cum «
Apostolis sanctissimus Apostolus «
ac primus Ephesiorum Episco- «
pus Timotheus & Dionysius «
Areopagita , quemadmodum ip- «
semet magnus Dionysius de Bea- «

» to Hierotheo, qui ipse tunc ade-
» rat, in libris quos ad prædictum
» Apostolum Timotheum elabo-
» ravit, in hæc verba testatur, &c.
» Quæ cùm Imperatores audiis-
» sent, ab Archiepiscopo Juvena-
» li contenderunt, ut sanctus ille
» loculus unà cum glorioſæ ac
» sanctissimæ Dei genitricis vesti-
» mentis, quæ in eo posita erant,
» ad se tutò mitterentur. Quod
» cùm contigisset, eum in vene-
» randâ æde sanctæ Dei matris,
» quæ in Blachernis extructa erat,
» condiderunt. Atque hæc ad
» hunc modum se habuerunt, &c.

Vides, Lector, quàm copiosè, quàm accuratè referat Damascenus quæ protulit Juvenalis de traditione Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Non historiam modò Euthymiacam laudat universim; sed librum notat & caput unde quæ refert desumpserat. Non exstat quidem historia

Euthymiaca ; ſed an ideo non extitiſſe dicetur ? Quàm multæ narrationes ejuſmodi pro certis habentur, quamvis Codices non exſtent è quibus ſunt deſumptæ, quia teſtimonio unius fide digni auctoris, qui eas ſe legiſſe aſſeverat, conſtant.

Quæ verò narrantur à Juvenale, an alicubi à veritate deflectunt ? An non Marcianus Imperator & S. Pulcheria Eccleſiam in Blachernis ædificarunt ? An non adfuerunt in urbe Imperiali tempore Concilii Chalcedonenſis ? An non Juvenalis eidem Concilio interfuit ? Uno verbo, an aliquid opponi poteſt, quo hiſtoria Euthymiaca falſi arguatur ? Nihil certè, adeò omnia egregiè inter ſe cohærent ac conveniunt ſeu loco, ſeu tempori, ſeu perſonis. Totis igitur viribus connitendum erat Diſſertatori, ut hanc tantam auctori-

tatem convelleret. Atque id satius erat quàm in longa serie retexendâ suppressionum & emendationum quæ factæ sunt in Breviariis ac Missalibus, operam perdere.

Quàm perfunctoriè tamen traditionem à Juvenale laudatam impugnat; quàm levia & quæ vix refelli digna sint argumenta in contrarium adducit; Valeant enim Hilduinus Abbas & Bivarius Monachus, qui de sepulchro Christi ineptissimè interpretantur, quod de corpore B. Virginis cæteri auctores in verbis Dionysii intelligunt. Nec tempus conversionis Dionysii repugnat traditioni quam refert Juvenalis, si modò Deipara Virgo circa septuagesimum secundum ætatis suæ annum mortuâ asseritur (quæ communis est sententia.) Tacuerit verò Metaphrastes de historiâ Euthymiacâ;

miacâ; quid inde? Rem ipsam referre satis habuit, nec omnia quæ ex Damasceno didicerat, describenda putavit.

At, inquit Dissertator, Jacobus Billius, qui duas Orationes Damasceni de *Dormitione* & *Assumptione* Virginis Latinas dedit, *Græcum auctoris versioni suæ non adjunxit; quod tamen in versione trium Orationum de B. Mariæ nativitate præstiterat. Quæ diversitatis ratio locum dubitandi facilè præstare potest, quòd Orationes istæ de Dormitione B. Mariæ Damasceni non sint.* Pag. 74.

Bona verba quæso, Dissertator; an accusare vis fidem Jacobi Billii, quem meritò laudibus ornas? Si qua enim fraus, ab illo profecta est tota. Profitetur Billius se Græcas has Orationes à Cardinale Sirleto accepisse, quas jampridem verterat, sed malè, Volaterranus. An putas men-

titum esse Billium ? Cur autem Græcum textum non adjunxerit, quis divinare queat ? Fortè noluit Cardinalis Sirletus. Fortè aliquid in textu Græco desiderabatur. Alias causas habere potuit Billius.

Instat tamen, & has Orationes non esse Damasceni hinc probat, *quòd Damascenus alibi de Assumptione corporeâ B. Virginis locutus nusquam fuerit, tametsi multus semper extiterit in enarrandis omnibus quæ de Virgine Deiparâ referri poterant.* Pag. 74.

Hoccine est ratiocinari ? Quia Damascenus qui laudes omnes assumptæ Virginis complexus est his in Orationibus, non alibi de iisdem sermonem habet, ideò Damasceni non sunt hæ Orationes. Immò, non alibi locutus est de Assumptione B. Virginis, quia uberrimè de eâ scripsit his in Orationibus. Hoc po-

ſtremum quaſi ſpontè conſequitur.

Quid ſi verò & alibi quàm in his orationibus Damaſcenum locutum eſſe de Aſſumptione B. Virginis corpore & animâ oſtendero? Nunquid fateatur Diſſertator neceſſe eſt non modò hanc poſtremam rationem inconſultiſſimè à ſe prolatam; ſed & hinc maximè confirmari quod retulit Damaſcenus tum de hiſtoriâ Euthymiacâ, tum de traditione Juvenalis? Audiatur ergo Damaſcenus etiam alibi quàm in orationibus, quas Latinas dedit Billius.

Ογητὸς ἐξ ὀσφυός προελθεῖσα τὴν φύσιν καταλληλον ἀγνὴ τὴν ἔξοδον διήνυσας. τεκθσα ὃ τὸν ὄντως ζωὴν πρὸς τὴν ζωὴν μεθέστηκας τ' θείαν.

Παρθένοι νεαίδες σὺν μελῳδὸν τῇ προφήτιδι ὠδὴν τ' ἔξόδιον νῦν ἀναλάξατε.

„ E lumbo mortali producta,
„ exitum huic Nativitati con-
„ gruentem accepisti. Ut autem
„ genitrix vitæ, quæ sola vera est
„ vita, transportata es ad vitam
„ divinam. Proinde ô Virgines
„ adolescentulæ unà cum Mariâ
„ Prophetide, nunc Hymnum abi-
„ torium vocibus per quàm lætis
„ incinite. Ex Men. 15. Aug. Ode
„ 1. & 2. de obdormitione B. Virg.
„ Canone secundo.

Τὴν ἐν παρεσβείαις ἀκοίμητον θεοτόκον καὶ πρεσβασίαις ἀμετάθετον ἐλπίδα τάφος οὐ νέκρωσις οὐκ ἐκρράτησεν. ὡς γὰρ ζωῆς μητέρα πρὸς τὸν ζωὴν μετέστησεν ὁ μήτραν οἰκήσας ἀεὶ πάρθενον.

„ Deiparam suâ pro nobis in-
„ tercessione pervigilem & in pa-
„ trociniis spem nostram planè im-
„ motam; neque somnus mortis
„ ab illâ vigilantiâ, neque sepul-
„ chrum ab illâ stabilitate dimo-
„ vit. Nam iste incola uteri sem-

per incorruptì, eam ut vitæ ma- «
trem, de vitâ transportavit ad «
vitam. Ex Men. 15. Aug. post «
Odem 6. de obdormitione B.
Virg. Canone secundo.

Quòd si dixerit Adversarius hæc duo cantica excerpta esse ex laudatis Orationibus Damasceni, (quod haud scio probarine possit) majori adhuc incommodo premetur. Hinc enim sequetur aliquid ex Græco textu illarum Orationum supereſſe, unde & integras à Damasceno conscriptas fuisse constaret (quod negabat Dissertator.) Sed quid pluribus in re tam clara? Exstat & tertia Oratio ejusdem Damasceni, quam Leo Allatius Latinè vertit, in quâ non minùs disertè quàm in aliis assumptam corpore & animâ Virginem prædicat. Quibus si addideris, sanctum Damascenum Menæorum instauratorem

præcipuum extitisse, in quibus tot leguntur cantica de assumpto corpore Virginis, ne levissima quidem de ejus mente dubitatio supererit. Atque hæc de Damasceno copiosiùs. Nec quicquam tamen extra rem.

Cosmas Hierosolymitanus.

INTER eos qui Græcorum Odas Ecclesiasticas composuere, laudem eximiam meruit Cosmas hic de quo loquimur; Ejus diem festum celebrant Græci 14. Octobris; ubi eum quoque ponit Menologium Cardinalis Sirleti, *ut sanctum planè Patrem & scientiâ ac pietate insignem.* Illum tamen copiosiùs commendant Menæa 15. Januar. Eumdem in vitâ S. Damasceni testatur Joannes Patriarcha Hierosolymitanus, vi & solâ obtemperandi necessitate Majumæ Episco-

pum creatum fuisse. Addit quoque Joannes ille Patriarcha, S. Cosmam hortatorem Damasceno & exstimulatorem ad labores fuisse; cùm ei fuerit in Spiritu Frater, unàque in litteris, educatione & religiosâ demum exercitatione Collega. Magni ergo interest nosse, quid vir ille pius ac doctus de Assumptione B. Virginis senserit. Eum verò sentire cum Damasceno, tum alia multa Menæorum Cantica quæ ejus inscripta sunt nomine testantur: tum hæc duo quæ hic duntaxat exscribimus.

Moses tabulas artificio Dei " constructas & à Spiritu divino " conscriptas, per iram in frusta " comminuit. At verò Mosis Do- " minus Virginem Matrem ut Ta- " bulam Verbi divini planè illæsam " custodivit, eamque nunc in cæ- " leste domicilium transtulit. Ex " Men. 15. Aug. Ode 7. Cantic.

1. de Obdormitione 6. Virginis.
» Ob victoriam de naturâ obten-
» tam præmium tu quidem copio-
» sum tulisti, divinam scilicet pro-
» lem. Verùm ut conditori & fi-
» lio tuo tantò similior fieres, te
» quoque legi naturæ subjicis, su-
» per omnem captum naturæ. Mo-
» reris quippe, & mox instar Filii
» ad vitam resurgis immortalem.
» Nam incorporearum mentium
» exercitus per cælorum spatia
» gradiens, in sacratissimo corpo-
» re tuo, maturè ad superos de-
» portando, sollicitus erat. Ex Men. 15. Aug. Ode 1. de Obdormitione B. Virg. Canone primo.

S. GERMANVS.

VIXIT eodem octavo sæculo Germanus, Patriarcha Constantinopolitanus, à quo discere possumus quænam tum temporis fuerit Ecclesiæ

Constantinopolitanæ traditio de morte Mariæ Virginis. Prædicatur à Martyrologio Romano 4. Id. Maij, *Virtutibus & doctrinâ insignis, qui cùm Constantinopoli Episcopus esset, Leonem Isauricum, adversùs sacras imagines edictum promulgantem, magnâ fiduciâ redarguerit.* Addit eodem die Menologium Cardinalis Sirleti, quòd sanctus iste Patriarcha, post suos de orthodoxâ fide libros, per Isauricum Leonem combustos, Pallium Patriarchale deposuerit ad Aram, atque in privatam domum secedens, quietem amplexus fuerit; ac denique annum ætatis nonagesimum agens, migrarit ad Dominum. Exstant inter ejus opera tres Orationes, quas de Dormitione S. Dei genitricis inscripsit, in quibus quâ potest eloquentiâ Mariam Virginem corpore ut animâ cælo receptam

esse contendit. In Priori Oratione inducit Christum his verbis Mariam alloquentem.

» Tuum mihi corpus concredi-
» to; nam & ego divinitatem tuo
» utero depositio tradidi. Videbit
» Patris mei gloriam divina anima
» tua. Videbit ejus unigeniti Filii
» claritatem intemeratum corpus
» tuum; videbit sanctissimi Spiri-
» tus majestatem purissimus Spiri-
» tus tuus. Nihil in te mors glo-
» riabitur, quippe quæ vitam pe-
» pereris. Vas meum effecta es;
» haud illud lethalis casus contri-
» tio effringet; haud caliginis
» obtenebratio in obscurum trahet.

Ubi autem eamdem Virginem fato functam narravit, corpusque ejus spectantibus Apostolis abreptum, eosdem Apostolos Israëlitis hæc narrantes inducit.

» Viri Israëlitæ, hoc nunc vobis
» notum sit. Liquet omnibus de
» Mariâ, quæ carne Christi pa-

rens fuit, cùm unâ nobiſcum « atque vobiſcum extincta ad mo- « numentum deveniſſet, noſtris « ex manibus aſſumptam eſſe. «

Addit alia multa S. Germanus; ex quibus conſtat, illis temporibus, perſuaſum fuiſſe fidelibus omnibus, quòd Virgo non anima ſolùm, ſed & corpore in cælum aſcenderit.

S. ANDREAS CRETENSIS.

QUONIAM octavo ſæculo non unus iſto nomine inſignitus fuit, monemus quem hîc teſtem damus traditionis antiquæ de aſſumpto corpore Virginis, origine Damaſcenum fuiſſe, cleroque ſanctæ civitatis adſcriptum, ac demum ob ſingularem eruditionem ac virtutem conſtitutum Archiepiſcopum Cretæ. In Menologio Cardinalis Sirleti dicitur: *Vir doctus &*

sanctus, qui ad ædificationem Ecclesiæ multa scripta reliquerit. Quòd autem vixerit Andreas Cretensis octavo sæculo, hinc liquet, quia Menæa hunc aiunt à sanctæ Civitatis Patriarchâ Theodoro Clero adscriptum fuisse. Atqui Theodorum præstantiores quique Chronologi collocant ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum nonum.

Tres Orationes edidit Andreas Cretensis in *Dormitionem sanctissimæ Deiparæ Dominæ nostræ*, in quibus effusissimis laudibus Mariam Virginem ornat, probatque non animâ solùm, sed & corpore in cælum assumptam. Sufficiant autem hæc ex secundâ oratione deprompta verba.

» Erat ergo planè novum spe-
» ctaculum, quodque rationis vim
» excederet: ut nimirum mulier,

quæ cælorum naturam puritate «
ſupergreſſa eſſet, cæleſtium ady- «
torum ſancta, tabernaculum «
devehens, ac corpore penetra- «
ret. Ut Virgo, Dei partus mi- «
raculo Seraphicam vincens na- «
turam, primæ illi naturæ; Deo «
inquam, univerſorum auctori, «
ſe propiùs adjungeret. Ut Ma- «
ter quæ vitam peperiſſet, æqua- «
lem partui vitæ finem, miracu- «
lumque Deo & fide dignum præ- «
tenderet. Ut enim minimè cor- «
ruptus eſt parientis uterus, ita «
nec interiit defunctæ caro. O «
miranda res! Partus omnino cor- «
ruptionem effugit; nec ſepul- «
chrum illam à morte extremam «
corruptionem admiſit. Haud «
enim ea, ſancta attigerit. Vul- «
tis ut ejus rei probationem edi- «
cam? Ac quæſo, adſtantium ne- «
mo, monumentum vacuum ul- «
lo modo irrideat. Quæram enim; «
quomodo defunctæ corpus obſ- «

„ curum ? Quomodo sepulchralia
„ absunt loculis ? nisi quod fuit
„ tumulatum corruptionem effu-
„ git ; nisi thesaurus translatus est.
„ Sin autem sic habet , quî non
„ vera translatio , quando etiam
„ concurrerunt alia ; nimirum ani-
„ mæ à corpore divisio ; carnis de-
„ positio ; compositio ; composi-
„ tionis solutio ; disjunctio par-
„ tium ; resolutio , conjunctio ;
„ compactio , ac denique in obs-
„ curum subductio. Quippe ha-
„ ctenus sepulchrum vacuum ma-
„ net ; ipsum testimonium habens,
„ quodque translatæ testimonio
„ sit.

Articulus Septimus.

De Festo Assumptionis.

QUÆ jamdiu invaluerat fidelium pietas in Mariam assumptam , mirum in modum

aucta fuit sæculo nono. Quod singulari providentiâ factum, ut quo sæculo natus est Usuardus, qui negavit ab Ecclesia sciri ubi Virginis corpus occultatum fuerit, essent non unus aut alter, sed plures doctissimi gravissimique auctores, qui temerariam ejus accusationem exploderent. Quia verò quæ ex illis afferemus testimonia ad Festum Assumptionis maximè pertinent, neque alio argumento efficaciùs confutari potest Usuardus, quàm ex ejusdem Festi antiquitate, cujus plurima exstant hoc sæculo vestigia, de illâ præsertim hîc nonnulla annotare libet, quæ partim intelligenda monemus de celebritate Festi quoad Officium publicum Ecclesiæ, partim quoad præceptum cessandi à servili quovis opere.

Et quidem perspicuum est,

tum cùm scripsit Usuardus, toto orbe Christiano celebrem fuisse festum diem assumptæ Mariæ. Nam, (quod mox demonstrabimus) Martyrologium non antè edidit Usuardus quàm Carolus Calvus Imperii coronam adeptus est, atque adeò non ante annum 860. Assumptionis autem Festum jam anteà institutum fuisse constat ex hoc Canone 36. Concilii Moguntini anno 813. celebrati.

Festos dies in anno celebrari sancimus. Hoc est diem Dominicum Paschæ cum omni honore & sobrietate venerari: simili modo totam hebdomadam observari decrevimus. Diem Ascensionis Domini pleniter celebrari. Item Pentecosten similiter ut in Pascha. In natali Apostolorum Petri & Pauli diem unum, Nativitatem S. Ioannis Baptistæ, Assumptionem sanctæ Mariæ, &c.

Neque

Neque tamen inde conficitur tunc primùm institutum fuisse Assumptionis Festum. Jam enim anteà in usu fuisse colligitur ex hoc Capitulo seu statuto Bonifacii Archiepiscopi Moguntini, qui Martyrium passus est anno 755.

Annuntient Presbyteri diebus dominicis per annum sabbatizandum omni modo. In natali Domini VIII. *Kal. Ianuar. dies quatuor. In Circunciſione Domini Kal. Ianuar. diem unum. In Epiphaniâ* VIII. *Id. Ianuar. diem unum, &c. In Assumptione S. Mariæ* XVIII. *Kal. Septembris diem unum*, &c.

Obſervandum autem Bonifacium ſtatuta quæ edidit magnam partem ex antiquiſſimis canonibus excerpſiſſe, & diebus Feſtis ſuo illo ſtatuto laudatis, ut ab omni opere ceſſaretur, præſcripſiſſe.

Porrò & ante Bonifacium

idem jam decretum fuerat à Godegrando Episcopo Metensi, qui sub Pipino vixit ante annum 750. Nam in regulis ab ipso editis cap. 74. inter præcipuas solemnitates annumeratur Assumptio sanctæ Mariæ.

In solemnitatibus præcipuis. Id est, in natali & in octavâ, & in Epiphaniâ Domini, & in Pascha, & in Ascensione Domini, &c. & in Assumptione sanctæ Mariæ, &c. plenarium Officium celebretur, & bis reficiatur.

Quin & antiquior probatur esse eadem solemnitas ex statutis synodalibus Ecclesiæ Rhemensis per Dominum Sonnatium Archiepiscopum Rhemensem anno 633. Nam. cap. 20. hæc habentur.

Festa ab omni opere forensi excolenda & cum debita veneratione celebranda hæc sunt. Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, &c.

Aſſumptio Beatæ Mariæ, ejuſdemque Nativitas, &c.

Immò & altiùs repetenda ejuſdem feſti antiquitas; ſi quidem ex collectâ ſæpius à nobis laudatâ, *Veneranda nobis eſt Domine*, quam ex Sacramentario S. Gregorii adduximus, iam ſolemne fuiſſe hoc feſtum ſexto ſæculo manifeſtè liquet. Præterea Nicephorus ſcribit eamdem legem à Mauricio Imperatore latam eſſe de Aſſumptionis Feſto, quam tulerat Juſtinus de ſanctâ Chriſti Nativitate; nempe, ut toto orbe celebraretur, ac præſertim ejus celebritas fieret 15. menſis Auguſti. Hæc ſunt verba Nicephori.

Idem Imperator, (Juſtinianus) *tum primùm ſervatoris exceptionem toto orbe terrarum Feſto die honorari inſtituit; ſicut Iuſtinus de ſanctâ Chriſti Nativitate fecit. Atque non ita longo poſt tempore Mauri-*

cius sacrosanctæ Dei genitricis Dormitionem quindecimo Augusti mensis die celebrari præcepit.

Ergo ante Mauricii tempora, qui vixit anno 583. celebrabat Ecclesia Festum Assumptionis, cùm Mauricii lex non institutionem Festi respiciat, sed solemniorem ejus cultum, ac præsertim diem quo celebrari in posterum voluit, qui antea fixus ac status non erat.

Quid quod & ipse Pseudohieronymus, quem sæculo quinto vixisse asserit Dissertator, de Assumptionis Festo loquitur, tanquam de solemni tum temporis & jampridem instituto?

Hinc rogo omnes pariter festivitatem glorioſæ ſemper Virginis Mariæ celebremus; quia hæc eſt dies omni ſæculo veneranda, in quâ meruit exaltari ſuper Choros Angelorum, & pervenire ultra quàm noſtræ humilitatis eſt natura.

Quid Martyrologium B. Hieronymi, de quo ſuprà multis egimus, nonne ejuſdem Feſti luculentam mentionem facit ad XVIII. Kal. menſis Septembris ? Obſervavimus autem ibi Aſſumptionis nomen bis uſurpatum, ſemel de Virgine, iterum de Joanne Evangeliſtâ, quem corpore aſſumptum eſſe nonnulli ex antiquis ſcripſerunt. In iis Pſeudo-Hieronymus. Item Abaillardus qui ejuſdem ſententiæ Ambroſium & Auguſtinum fuiſſe aſſerit. Unde conſtare diximus eo in Martyrologio Aſſumptionis nomine corporis Aſſumptionem ſignificari, ubi ſermo eſt de Virgine, cùm aliis non tribuatur quàm Joanni Evangeliſtæ, quem corpore aſſumptum opinabantur.

Sed pergamus ſanè. Nunquid veroſimile tum præſertim feſtum idem magnâ ſolemnitate

celebratum, cùm advecto Constantinopolim Deiparæ Virginis tumulo Blachernarum templi Encænia facta sunt ab universis Episcopis qui Concilio Chalcedonensi intererant rogatu Marciani Imperatoris ac Pulcheriæ uxoris anno circiter 451.

Nunquid verò hunc ipsum Assumptionis festum diem temporibus Hieronymi, Ambrosii & Augustini solemnem fuisse asserere possumus? Constat enim hoc imprimis ex Hieronymi Comite seu Lectionario, in quo sic legendum Missæ Officium disponitur.

In Assumptione Mariæ. Lectio libri sapientiæ. In omnibus requiem quæsivi.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Lucam. Intravit Iesus in quoddam Castellum.

Quæ in hodiernum usque diem eodem modo in Ecclesiâ leguntur.

Constat etiam ex Officio & Præfationibus Ambrosianis, tum in Vigiliâ, tum in Festo Assumptionis. Et quidem Orationum ac Præfationum Vigiliæ mentionem jam fecimus. In festo verò hæc est Præfatio.

Æquum & salutare; nos te in tuis sacratissimis Virginibus exultantibus animis laudare, benedicere & prædicare. Inter quas Beata Dei genitrix intemerata Virgo Maria glorioſissimè fulget, cujus Assumptionis diem omni devotione colendum, præsenti sacrificio celebramus. Per Christum.

Plura videre licet in Liturgicis Jacobi Pamelii, qui asserit jam ætate S.S. Hieronymi & Augustini celebratum fuisse hoc festum.

Verùm neque hîc sistendum, sed ascendendum ad tempora Apostolorum. Si enim apud Clementem lib. 8. Constit. Apo-

stol. cap. 39. præcipitur fidelibus, ut in Festis Apostolorum & in die S. Stephani Protomartyris quiescant ab operibus servilibus, quis dubitet idem ab iis constitutum in die transmigrationis Beatæ Virginis, quam tantopere coluerant? Certè cultum ipsius jam tum cœpisse, & quotidianam ejusdem in Missæ sacrificio commemorationem docet Liturgia S. Jacobi, in qua hæc leguntur. *Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram, matrem Dei & semper Virginem Mariam cum omnibus sanctis & justis.* Si autem mox ab obitu coli cœpit Beata Virgo, nemo ambigere potest festo die cultam esse primam hanc & præcipuam ejus solemnitatem.

De sancto Polycarpo Apostolorum discipulo scribit Ecclesia Smyrnensis apud Eusebium lib. 4. Hist.

4. Hist. cap. 15. *Quo in loco etiam nunc præstante Domino solemnes agimus celebresque conventus, maximè quidem in die passionis ejus. Sed & cum eo eorum memorias, qui priùs passi fuerant celebramus; ut sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus suscitentur.*

S. Cyprianus centum quinquaginta annis ante Hieronymi ætatem lib. 3. Ep. 6. de Confessoribus loquens qui in carcere sine torturâ moriebantur, ita scribit. *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Et lib. 4. Ep. 5. *sacrificia pro eis semper ut meministis offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversariâ commemoratione celebramus.*

S. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ*

solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur.

Cùm igitur constet sanctorum memoriam, præsertim Martyrum, omnibus retro sæculis, jam inde ab Apostolorum temporibus celebratam fuisse eo die quo è vivis excesserunt; quis neget idem præstitum in celebrandâ memoriâ mortis & Assumptionis Beatæ Mariæ, præsertim cùm ex Apostolorum tempore prodierint plura Cantica, quibus assumptam Virginem inter officia divina Ecclesia semper prosecuta est?

Hoc autem festum ab Apostolis institutum assensus est S. Bernardus, his verbis. *Accepi ab Ecclesiâ illum diem cum summa veneratione colendum quo assumpta de sæculo nequam cœlis quoque intulit celeberrimorum festa gaudio-*

Ep. 174.

rum, ac si diceret Bernardus esse dies festos, qui unde fluxerint aut quo tempore cœperint institui, agnoscimus. De festo autem Assumptionis B. Mariæ, hoc etiam nos scire, eadem ejus quæ Ecclesiæ fuisse principia. Hoc sensu exponunt Bernardi verba cùm alii multi, tum Marius Victorius Episcopus Reatinus Scholiis in Hieronymum. Sic enim scribit. *Assumptam fuisse Virginem unà cum corpore è monumento in quo deposita fuerat, omnis Ecclesia credit & celebrat. Ejus autem diei festum ubique celebrandum Apostoli, ut auctor est Bernardus, statuerunt.* Idem testatur Galesinius in notationibus sui Martyrologii, ubi hæc habet. *Hæc porrò diei festi celebritas ab Apostolis instituta putatur, ut facilè è Latinis Græcisque concionibus cognosci potest.* Quæ eadem sententia est plurimorum aliorum scriptorum.

Quantâ autem solemnitate celebratum fuerit idem Festum primis Ecclesiæ temporibus, patet ex Nicolai primi responsione ad consulta Bulgarorum (sedebat is anno 856.) Ibi enim inter jejunia *antiquitùs* servari solita recenset jejunium in Festo Assumptionis, his verbis.

Quadragesimali videlicet tempore, quod est ante Pascha, jejunio post Pentecosten, jejunio ante solemnitatem Assumptionis sanctæ Dei genitricis & semper Virginis & Dominæ nostræ Mariæ; necnon jejunio ante natalis Domini nostri festivitatem, & quæ jejunia sancta Romana suscepit antiquitus *& tenet Ecclesia.*

Idem constat ex statuto Leonis IV. (sedebat anno 847.) quo præcepit ut *Octavæ* Festi Assumptionis per universam Ecclesiam celebrarentur, cùm *Octavæ* assignari non soleant nisi Festis

jam multò antea inſtitutis. Quod abunde confirmatur ex iis quæ refert Anaſtaſius de Paſchali Pontifice (ſedit anno 817.) *Fecit*, inquit, *veſtem de Chryſoclavo habentem hiſtoriam qualiter Beata Dei genitrix Maria corpore eſt aſſumpta.* Quæ verba Feſti Aſſumptionis celebritatem, & Paſchalis ſenſum de aſſumpto corpore Virginis apertè demonſtrant.

Hoc autem Feſtum Hieroſolymis primùm celebratum fuiſſe jure aſſeretur. Nam qui mentionem ejus plurimam fecere, Juvenalis, Andreas, Timotheus Preſbyter, Coſmas, Modeſtus & Michaël Syngelus, Hieroſolymitani erant aut Hieroſolymis vixere. Adde neminem ex antiquis dubitaſſe quin B. Virgo in eâ urbe obierit, & ſepulta fuerit in valle Joſaphat, loco qui dicitur Gethſemane.

Id, præter historiam Euthymiacam & traditionem Orientalium quam refert Damascenus, affirmat Pseudohieronymus. Affirmat quoque Epiphanius hæresis 78. num. 11. ubi disertè habet B. Virginem nunquam Ephesum iviſſe, contrà quàm ait Dissertator. Exponens enim illa Joannis verba. *Et ex illà horâ accepit eam discipulus ad seſe*, sic scribit.

Posteaquàm illud ita gestum est, & ad seſe illam accepit, non amplius apud ipsum permansit. Quòd si falsò jactari quispiam à nobis existimet, licet sanctarum litterarum vestigia consectari, in quibus nullam de Mariæ obitu mentionem reperies, mortua sit necne, sepulta an non sepulta fuerit. Ac cum Ioannes interim in Asiam profectus sit, nunquam tamen B. Virginem itineris comitem secum illam habuisse significat, sed de eâ re penitus scriptura conticescit.

Quibus Epiphanii verbis apparet, quàm inconsideratè scripserit Dissertator, *Mariam, dum interim Ioannes in Asiam profectus esset, Ephesi manere potuisse.* Quasi Asia esset urbs, & Ephesus non esset in Asiâ. Sed & clarè loquitur Epiphanius de profectione quâ Joannes relictis Hierosolymis ivit in Asiam, cujus itineris negat comitem fuisse Mariam Virginem. pag. 70.

Observandum verò Festum hoc ita cœpisse celebrari in Diœcesi Hierosolymitanâ, ut primis temporibus ibi præsertim viguisse videatur. Neque enim verosimile est, si in ceteris Orientis partibus statim observatum fuisset, sanctum Epiphanium Salaminæ in Cypro Episcopum illud ignoraturum fuisse. Ignorasse autem constat ex hæresi 78. num. 11. ubi hæc habet.

Sive mortua sit Maria nescimus,

sive consepulta sit. Dixerat paulò ante.

Immortalem perseverasse non desinio, aut utrum mortua sit confirmare possum.

Item num. 23. *Etenim sive mortua est Virgo sanctissima ac sepulta, summo cum splendore conjuncta est mors illius & castissimus exitus, ac Virginitatis ei corona concessa: sive interfecta, ut indicare scriptura videtur his verbis, & ipsius animam pertransibit gladius, gloriam Martyres inter ac decus obtinet, & sacrum illius corpus omni felicitate cumulatum est, per quam mundo lumen illuxit. Potest denique & in vitâ mansisse. Potest enim Deus quicquid libuerit efficere. Nam de illius exitu nihil certò constat,* τὸ τέλος γὰρ αὐτῆς οὐδεὶς ἔγνω, 1. *finem enim illius nemo novit.*

Quare probabile est Festum hoc, quod in diœcesi Hierosolymitanâ præsertim vigebat, to-

to deinde Oriente receptum; maximè verò post Ephesinam & Chalcedonensem Synodos, quarum decretis Virginis θεοτόκου pietas, mirum in modum est propagata. Causæ verò quam tuemur, Epiphanii dubitatio non officit. Nam dubitavit quoque de morte Virginis, quam tamen universi fideles, ac Dissertator ipse, exploratam habent.

At, inquit Dissertator, *Assumptionis Festum sive à Damaso, sive à quovis alio institutum, nondum à Carolo Magno, cujus studio ac jussu Vsuardus Martyrologium conscripsit, receptum fuerat, ut patet ex ejus Capitul. lib. 1. cap. 164. in quo de Assumptione sanctæ Mariæ interrogandum relinquit,* Pag. 34.

Sed facilis responsio. Primùm enim si de celebritate Festi quoad officium publicum Ecclesiæ agamus, non potuit ignorare Carolus Magnus Festum hoc mul-

tò antea institutum fuisse, ut ex suprà dictis manifestè patet. Si verò de observatione festi agimus, ita-ut cessetur ab opere forensi aliisque aperibus; esto ita intellexerit Carolus & interrogandum ampliùs reliquerit utrum expediret ita præcipi hoc Festum; quid hoc causæ nostræ nocet, pro quâ satis est demontrasse antiquitatem Festi Assumptionis ratione cultus publici & celebritatis annuæ in Ecclesia? Quamquam nec hoc quoque sensu vere dici potest Festum hoc receptum non fuisse ante Carolum Magnum. Nam ex statutis Bonifacii, Godegrandi, & Sonnatii quæ retulimus, colligitur, Assumptionis Festum ex eorum numero fuisse quæ absque omni opere forensi excolenda *& cum debitâ veneratione celebranda essent.*

Quo ergo sensu accipi debent hæc verba Caroli in memo-

rato Capitulo. *De Assumptione sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus?* Certè, nisi me mea fallit conjectura, id voluit Carolus, ut majori ubique, quam anteà, celebritate perageretur hoc Festum, neminique illud liceret infringere; quod quâ ratione fieret interrogandum seu investigandum reliquit. Quam curam in se suscepisse Concilii Moguntini Patres ex Decreto ab eis paulò pòst edito intelligitur. Alia sit aliorum conjectura, dum Festi, quod multis asseruimus, antiqua constet institntio.

Ceterùm ex iis quæ mox annotavimus, corruit inanis conjectura Dissertatoris, quâ dicit *Vigiliæ Assumptionis nomenclaturam ab ipsomet Vsuardo in suo Martyrologio primitùs non fuisse conscriptam. Ad quid enim*, inquit, *Vigilia Festi Assumptionis, quod nondum celebrabatur?* Nam contra

Pag. 33.

nos reponimus. Cur non ab Usuardo commemorata sit Vigilia Festi, quod quadringentis & amplius ante ipsum natum annis institutum fuerat ? Nec minùs aberravit cùm eodem loci scripsit *Assumptionem tempore Vsuardi apud Latinos ut plurimùm, Dormitionis vocabulo designatam.* Nam ex Martyrologio B. Hieronymi, sermone ipso Pseudohieronymi, & Gregorii Sacramentario demonstratur Assumptionis vocem apud Latinos in usu frequentiori fuisse, quàm Dormitionis quadringentis annis ante Usuardum.

Quis autem aliam conjecturam ferre possit, (nam in conjectando totus est) quà contendit *Vigiliam* Assumptionis superadditam fuisse Martyrologio Bedæ ? Nempe quia, nec in Calendario S. Germani paulò post Bedæ tempora concinnato, nec in.

Pag. 38.

Codice quodam Sacramentarii S. Gregorii circa annum 799. conſcripto, nec in Calendario Miſſalis Pariſienſis, quod ſe habere ait, mentio fit ullâ *Vigiliæ Aſſumptionis*. Quis, inquam, id ferat? Nam cum cæteri Codices Sacramentarii S. Gregorii, iique probatiſſimi *Vigiliam* Aſſumptionis habeant, quis non credat incuriâ librarii omiſſam in illo Codice Monaſterii S. Rhemigii Rhemenſis? Idem dicimus de omiſſione ejuſdem Vigiliæ in Calendario S. Germani & Calendario Miſſalis, quod apud ſe habet. Cum enim in Martyrologio Bedæ mentio fiat expreſſa *Vigiliæ Aſſumptionis* & in Sacramentario S. Gregorii, nunquid manifeſtum eſt omiſſionẽ iſtam, quacumque ex causâ contigerit, traditioni, quam propugnamus, nihil quidquam officere? Certè Diſſertator ipſe agnoſcit

nihil ex illis omissionibus confi-
Pag. 39. ci posse, cùm ait, *In libro Sacramentorum S. Gregorii à Rotrado scripti, qui in Monasterio S. Germani habetur, nullam fieri mentionem Octavarum festi Assumptionis, quamvis liber iste descriptus esse videatur pluribus annis post earum institutionem.*

Quod verò addit ibidem, *Iejunium Vigiliæ Assumptionis ante annum 1094. non exstitisse*, liquidò refellitur ex iis quæ suprà retulimus ex Nicolao primo circa institutionem illius jejunii. Quare videat ipse quam fidem mereatur memoriale M. S. S. quod sibi communicatum ait è Bibliothecâ Victorinâ, & à Joannne quodam de sancto Victore concinnatum esse legitur. Sed solemne ipsi ea proferre, non solùm quæ causam suam minimè adjuvent; sed quæ apertè falsa ipse agnoscit. Dum enim quæ-

cumque legerit ſuo libello inſe-rere ſtudet, rei-ne quam ſcribit conveniant, an non, vix quic-quam penſi habet.

VSVARDVS.

JAM igitur novem ferè ſæcu-la feliciter decurrimus; ne-que dum quiſquam occurrit, qui priſcam veramque de Aſ-ſumptione Virginis traditionem impugnare auſus fuerit. Si quis de eâ nonnihil dubitavit (quod poſteà expendendum veniet) in eam dubitationem inductus eſt à Pſeudohieronymi libello.

Prodit verò tandem hoc ſæ-culo nono, eòque dimidiam par-tem exacto, Uſuardus, ſive Iſuar-dus, ſive etiam Huſuardus; ac pro triplici nomine trium Mo-naſteriorum Fuldenſis, S. Sal-vatoris, S. Germani vel unius è tribus Monachus; qui tot San-

ctorum Patrum clariſſimis vocibus non auditis, vel eas ſe audiiſſe diſſimulans, id ſe neſcire profitetur, quod ipſi tam apertè ſe ſcire profeſſi ſunt. Quin & audet Uſuardus ſuam inſcitiam Eccleſiæ tribuere, dum prætextu laudandæ ejus ſobrietatis, ipſam non ſine pietate neſcire vult, ubi occultatum ſit corpus B. Virginis. Sit-ne aliqua in neſciendo pietas, hactenus ignoro. Hoc ſcio, ſi tam parvi conſtet pietas, ut neſciendo comparari poſſit, permultos eſſe, qui eo nomine pii dici poſſint.

Quamvis autem magnopere venditet Diſſertator quod ait Uſuardus, *Sanctorum ſacras atque anniverſariò recolendas feſtivitates ex quibuſdam præcedentium Patrum Martyrologiis in quamdam unitatem ſe collegiſſe*, non tamen propterea auſit aſſerere, quæcumque in ejus Martyrologio legun-

tur

tur, pro certis & indubitatis esse habenda. Quàm multa enim refert, quæ unanimi doctorum consensu exploduntur? quàm multa, de quibus inter se disceptant? Ita-ut si Martyrologium Usuardi mendis carere pugnet, ab eruditis omnibus deseratur. Quæ tamen non eò à me dicta, quasi suam Usuardo auctoritatem universim detractam velim. Agnosco Martyrologium ejus non in plerisque modò Ecclesiis Galliæ, sed & alibi quoque receptum esse, forsan defectu melioris. Hoc solùm contendo, in pluribus lapsum Usuardum, vixque fieri potuisse, quin laberetur in recensendis superiorum temporum historiis, sive aliorum sensu, sive suo deceptus. Immo ut intelligat Dissertator, quanti faciam Usuardum, vix adducor ut credam commentarium, quo Ecclesia insciticæ accusatur,

Caroli Magni tempore, qui obiit anno 814. nondum fortè natus esset Usuardus. Nam Philippus Labbæus Dissertationis Philologicæ de scriptoribus Ecclesiasticis tomo 2. in addendis, pluribus probat Usuardum vixisse tantùm sub Carolo Calvo, nec eidem Martyrologium suum dicavisse ante annum 875. quo Imperiali coronâ Romæ donatus fuit à Joanne Papâ VIII. Idque asserit Labbæus, judicia secutus Bollandi, Launoii, Valesii, aliorumque hoc sæculo eruditorum. Itaque junior multò Usuardus quàm putet Dissertator; quem tamen hîc veniâ dignum agnosco, cùm erraverit post Molanum atque ipsum Labbæum in Bibliothecâ Chronologicâ. Sed de doctis ejus amicis queror, qui non admonuerunt mutatæ à Philippo Labbæo sententiæ in sua Dissertatione Philologicâ. Quod

tam amicè præstiterant de Nicephoro Callisto, quem eumdem faciebat cum Nicephoro Constantinopolitano.

Ex hac autem observatione, quàm multa in fumum abeunt, quibus magnam inesse firmitatem Dissertator sibi persuaserat? Dicetne amplius Usuardum jussu Caroli Magni jam multos annos vitâ functi Martyrologium suum confeciſſe? Vel, Carolum Magnum aliquid circa Martyrologium Parisiense, postquàm è vivis excessisset, statuisse? Quid? negabit-ne Assumptionis Festum Usuardi tempore institutum fuisse, quandoquidem, vt cætera præteream, ipsemet asserit sub finem Imperii Caroli Magni esse institutum? An contendet ulteriùs, Vigiliam Assumptionis Usuardi Martyrologio posteà insertam, cùm id tantùm conjiceret, quia persuasum habebat,

Festum Assumptionis tempore Usuardi nondum esse institutum ? Plura sunt ejusmodi ab eo subtiliùs excogitata ; quæ cùm tam infirmo nitantur fundamento, corruere ipsa per se necesse est. Quæ cùm se dabit occasio impune abire non patiemur. Sed ad institutum opus redeamus. Ubi tamen priùs Lectorem admonuerimus hoc de ætate Usuardi exemplo, totum ferè Dissertatoris opus conjecturis ejusmodi fallacibus, aut saltem incertis, niti. Nam sæpius vocem hanc, *fortè*, dubitationis indicem repetit. Quod utrum alicujus auctoritatis sit ac ponderis aliis judicandum relinquo.

**
* *
**

CAPUT SEXTUM.

Assumptam Virginem probant Sanctorum Patrum, qui post Usuardum vixerunt, testimonia.

SI quis annos computet, qui à Christo nato ad nos usque decurrerunt, animadvertet medio ferè inter illos tempore natum Usuardum. Vixit enim nono sæculo, vel ineunte; quod vult Dissertator; vel dimidiam partem exacto; quod docti quique cum Labbæo probabiliùs sentiunt. Ita ut ejusdem Usuardi refutandi nulla ratio potior iniri possit, quàm si demonstretur, tum ante, tum post ipsum, eamdem quam tuemur de Virgine assumptâ traditionem viguisse. Quod ergo in novem præ-

cedentibus sæculis præstitimus, quorum auctoritatem oppositimus Usuardo, id etiam in reliquis ad hæc usque tempora præstandum; sed quàm fieri poterit breviſſimè; tum ne tædium afferamus Lectoribus; tum quia Dissertator ipse non admodum resistit, quin à tempore Usuardi invaluerit assumptæ in cælum corpore & animâ Virginis opinio. Brevitatis autem causâ unius duntaxat Auctoris in unoquoque sæculo verba proferemus, cæteris de nomine tantùm indicatis. Ita verò in hac sæculorum serie decurrendâ versabimur, ut obiter & pro occasione multa refellamus, quæ sparsim in Dissertatoris opusculo habentur.

Articulus Primus.

Simeon Metaphrastes.

10. Sæculo. Cum non desint qui de Simeone Metaphraste, qui decimo vixit sæculo, secus sentiant ac se res habet, admonendos duxi, ipsum nec trivialem ludi magistrum fuisse, quod ineptè comminiscitur Hospinianus; nec unum è multis. Nam & nobili ortus erat familiâ divitiisque abundanti; & Logothetæ seu Cancellarii munus sub Imperatoribus Græcis diù exercuit; tantâ verò divinæ scientiæ laude claruit, ut appellatus sit novus Theologus, nempe respectu antiquioris, Gregorii Nazianzeni, qui Theologi nomen apud Græcos ob insignem rerum cognitionem fuerat adeptus.

Quod spectat ad ejus scripta, etsi

etsi in plerisque sibi nimiùm indulserit, quin tamen commendationis plurimum in Ecclesiâ semper habuerint negari non potest, præsertim cùm graviſſimorum auctorum scriptis consentanea reperiuntur. Cujusmodi sunt ea quæ de Virgine assumptâ refert ad decimum quintum diem mensis Augusti, in quibus cum Damasceno, à quo forsan maximam eorum partem acceperat, consentit. Huc accedit, quòd in his, quæ proferimus auctorum antiquorum testimoniis, vix necesse sit quærere quantam scriptores illi auctoritatem habeant. Sufficit enim quòd ab illis ediscamus, quænam fuerit illo quo vixerunt sæculo, de Assumptione Virginis traditio. Quod illorum quivis, cujuscumque sit alioquin ponderis, præstare facilè potuit. Audiamus igitur Metaphrastem.

Oratione de vitâ & Assumptione S. Mariæ.

„ Hinc ad sacratissimam abdu-
„ citur Gethsemanem, & illic san-
„ ctissimum quidem corpus man-
„ datur sepulturæ. Quidni enim,
„ cùm etiam qui erat Deus ejus
„ Filius, more hominum sepeli-
„ tur? Per ipsum autem ad cæle-
„ stia & divina transmittitur ta-
„ bernacula. Quod dicimus con-
„ firmat Juvenalis divinus Hiero-
„ solymorum Episcopus. Fuit au-
„ tem hic vir sanctus & à Deo inf-
„ piratus, qui ab antiquâ & verâ
„ traditione narrationem dicens
„ ad se sic fuisse deductam ait.
„ Quòd tres totos dies ad sepul-
„ chrum sancti permanserunt Apo-
„ stoli divinas hymnodias ex alto
„ audientes. Deinde post tertium
„ diem cùm unus ex Apostolis tar-
„ diùs venisset ad exequias, vel
„ quòd ita contigisset, vel quòd
„ divinum ita providisset consi-
„ lium, ut nota esset omnibus trans-
„ latio admirabilis, tunc & ipse

quidem acceſſit, & ut eſt con- «
ſentaneum, magnum ex eo ce- «
pit dolorem, quòd tanti boni «
manſiſſet expers, idque omni- «
no tolerare non poterat. Sacer «
itaque ordo Apoſtolorum non «
juſtum eſſe judicans, ut ipſe quo- «
que vivificum illius corpus non «
videret & amplecteretur, jubet «
ſtatim aperiri ſepulchrum. Et il- «
lud quidem fuit apertum. The- «
ſaurus autem nequaquam erat «
in eo. Sed ſolæ erant veſtes, in «
quibus fuerat conditus, quomo- «
do etiam ejus Filii in Reſurre- «
ctione. Quas cùm ipſe eſſet am- «
plexus, & qui cum eo aderant, «
& repleti eſſent inexplicabili «
odore & gratiâ, rurſus quidem «
clauſerunt ſepulchrum. Mira- «
culum autem poſteris Filius à «
Patre accipiens deinceps tradit. «
Atque vivifici quidem corporis «
divinæ ſepulturæ ita ſe habet «
narratio. Siquidem quod ex eâ «

„ natum erat, totam eam verbum
„ ad se transtulit, & voluit eam
„ apud se esse, & perpetuò simul
„ vivere. Verùm enimverò pro
„ impolluto ejus corpore suam ve-
„ stem, boni nostri magnam sem-
„ per ducens rationem, veluti
„ quamdam dat huic civitati hæ-
„ reditatem.

Hactenus Metaphrastes; cujus verba traditioni quam propugnamus eò magis patrocinantur, quòd illam non proponat tanquam dubiam & incertam; sed de quâ nemo tum temporis dubitaret. Neque id negat Dissertator, aut Metaphrastæ fidem aliter elevare conatur, *Quàm quòd in referendâ historiâ de Iuvenale Ierosolymorum Episcopo ipse historiæ Euthymiacæ non meminerit.* Sed quid hoc ad minuendam fidem Metaphrastæ? Cùm, ut jam aliàs admonui, rem ipsam referre satis habuerit, aliis omissis quæ

Pag. 73.

fortè non neceſſaria exiſtimavit, vel in mentem ipſi non venerunt.

Eodem decimo ſæculo prodierunt conſuetudines Cluniacenſis Monaſterii, quarum jam meminimus, collectore ſancto Valrico Monacho Benedictino: ex quibus etiam manifeſtè apparet de aſſumpto corpore Virginis tunc temporis nullo modo dubitatum. Nam vigeſimo capite, cui titulus *de Aſſumptione S. Mariæ* præſcribitur, ut in Vigiliâ ejus Feſti legatur Collecta, *Veneranda nobis eſt Domine.* Quodque mireris, eodem capite ſtatuitur ut ex libello Pſeudohieronymi lectiones deſumantur, omiſſo ad nonam Evangelio. *Ad nocturnos legitur ſermo ſancti Hieronymi, Cogitis me, ô Paula, quî cùm tantæ ſit excellentiæ, ad nonam lectionem nequaquam pronuntiatur Evangelium; ſed omnes lectiones ex eodem ſermone fiunt.*

Atque hinc intelligitur quanto in pretio diù apud multos fuerit Pseudohieronymi libellus, ob eximias laudes, quibus Mariam Virginem ornat. Unde tamen inferre non licet dubitatum esse de ejus Assumptione ab iis ipsis, qui eumdem libellum legerent, ut manifestè patet hoc exemplo Cluniacensium, apud quos cùm legeretur Collecta, *Veneranda nobis est Domine*, nulla certè inter eos de assumptæ Virginis miraculo dubitatio suberat. Ita-ut hoc duntaxat sequatur eosdem in Pseudohieronymi libello non omnia probasse; sed, quod præcipit scriptura, pretiosum à vili prudenter separasse.

Articulus Secundus.

Petrus Damiani.

11. Sæculo. NE diutiùs immorandum sit nobis in sæculo unde-

cimo facit Dissertator ipse, qui ingenuè agnoscit Festum Assumptionis tunc temporis adeò solemne fuisse in Ecclesiâ, ut etiam apud Hungaros *dies Dominæ* appellatum fuerit, circa annum 1030. Unius verò Petri Damiani verba hîc exscribenda duximus, tum quia maximi in hac causâ ponderis esse debent; tum quia discrimen quod inesse diximus inter Ascensionis & Assumptionis vocabula manifestè demonstrant. Pag. 40.

Hæc est illa dies quæ cælorum officinas sublimiori gaudio cumulavit, annua mundo, Angelis continua, continuans homines Angelis, & Angelos hominibus felici fœderatione conjungens. Intuere mentalibus oculis Filium ascendentem, & matrem assumptam, & videbis aliquid excellentius in Ascensione Filii exhiberi; & aliquid glo- « *Sermone de Assumptione.*

» rioſius in Aſſumptione Virginis
» demonſtrari. Aſcendit enim Sal-
» vator in cælum poteſtativè vir-
» tutis imperio, ſicut Dominus &
» Creator, Angelorum comita-
» tus obſequio, non auxilio fultus;
» aſſumpta eſt Maria in cælum,
» ſed gratiæ ſublevantis indicio,
» comitantibus & auxiliantibus
» Angelis, quam ſublevabat gra-
» tia, non natura. Ideò dies hæc
» Aſſumptio, illa Aſcenſio voca-
» tur, cùm aliud ſit potentia, aliud
» miſericordia, ſolumque ſoli ſit
» privilegium creatori, naturam
» rerum propriâ poteſtate ſuper-
» gredi.

Plurimæ paſſim exſtant tabulæ, in quibus Mariæ Virginis in cælum magnifico comitatu euntis triumphum ſpectare licet. Sed dicere auſim, nullam quantumlibet eximiam oculis ita perfectè rem exhibere, ac mentibus ſubjicit illa Damiani narra-

tio. Quæ eò majorem fidem meretur, quòd eodem sæculo scriptores plurimi cum Damiano planè consentiunt; in iis præsertim Burchardus Episcopus Wormatiensis, Olbertus Abbas Gemblacensis, Pandulphus Capuanus Cassinensis, Gregorius Cassinensis, S. Bruno Sigiensis Episcopus, Lanfrancus Cantuar. Archiepiscopus, Radulphus ardens; Anselmus, cujus hæc sunt verba, de excellentiâ Mariæ Virginis cap. 4. Tota Christianitas novit Mariam supra omnes cælos exaltatam & Angelicis Choris prælatam certissimè credit.

Articulus Tertius.

Sanctus Bernardus.

Jam hujus operis initio testimonium ex sancto Bernardo 11. Sæculo.

adduximus, eâdem ab Epistolâ desumptum, unde Dissertator alia quædam verba ad causæ suæ patrocinium laudavit præfixitque suo libello. Utraque hîc expendere libet, ut Lector intelligat quàm immeritò tam pium Virginis Deiparæ cultorem sibi favere Usuardi patronus existimet. Scripserit ergo sanctus Bernardus, *At valde honoranda est*, *Ep. 174.* *inquis*, *Mater Domini*, *bene admones. Sed honor Reginæ judicium diligit:* An propterea negavit corpore & animâ esse assumptam? An dixit honorem istum majorem esse aut altiorem, quàm ut Dei matri cum ratione ac judicio concedi potuerit? Immo eumdem audi Bernardum, quasi sumptâ tubâ ad extollendam Virginem, quantùm maximè possint, fideles quosque adhortantem. *Exalta*, inquit eodem loco, *exaltatam super Choros Angelorum*

ad cælestia Regna. Hæc mihi de illâ cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi securus teneo & trado. Quod non, scrupulosiùs fateor admiserim.

Neminem esse arbitror, qui si hæc verba attentè perpenderit, iis apertè significari non videat, Mariam Virginem non animâ solùm, sed & corpore supra Choros Angelorum fuisse exaltatam. Nam præterquàm quòd communis ista notio omnium animis semper insedit, ut quoties exaltatam vel assumptam Virginem audiunt, plenam, ut ita dicam, exaltationem & Assumptionem intelligant; an si de solâ ejus animæ in cælum migratione loqui voluisset Bernardus, toties inculcasset se ab Ecclesiâ edoctum ut exaltatam decantaret? An securitatem suam inde tantùm se hausisse assereret, quòd id ab

Ecclesiâ sic teneret acceptum? Quid? An non tacente etiam Ecclesiâ potuisset tenere ac decantare Virginem Deiparam animâ in cælum evectam? Quis enim id unquam in dubium vocavit? Quia verò majus aliquid asserere voluit Bernardus, nempe matrem Domini corpore etiam exaltatam supra Choros Angelorum, hinc rectè id sibi ab Ecclesiâ traditum prædicavit, quod aliàs, ut ipse ait, scrupulosiùs admisisset.

Serm. 1. Assumpt

Quid verò hæc alia Bernardi verba, *Quid putemus quænam illa fuerit cælestium exultatio, cùm & vocem audire & videre faciem, & Beatæ Virginis præsentiâ frui meruerunt?* Quid, inquam, significent, quàm plenam, ut jam dixi, tum corporis tum animæ Assumptionem?

Serm. 4.

Quid etiam hæc verba, *Tempus loquendi est omni carni cùm*

aſsumitur incorrupti Verbi mater in cælum; nec ceſsare debet à laudibus humana mortalitas, cùm hominis ſola natura ſupra immortales ſpiritus exaltatur in Virgine? An diceret Bernardus tempus eſſe loquendi omni carni, niſi carnem matris Domini aſſumptam crederet? Cur autem ait ſolam hominis naturam exaltatam in Virgine, niſi quia anteà in Chriſto, non ſola hominis natura exaltata fuerat, ſed juncta cum divinâ, ex qua utraque coaleſcebat Chriſtus?

Sed ne qua ſuperſit de Bernardi mente dubitatio, audiatur & Petrus Abailardus ejus æqualis & æmulus, qui cùm apertis verbis Mariam Virginem corpore in cælum evectam prædicet, non aliam fuiſſe illo ſæculo ſive Bernardi ſive aliorum ſententiam oſtendit. Si diligenter occurſum Angelorum & triumphalem «

» pompam Christo exhibitam ho-
» diernæ festivitatis comparemus
» jocunditati, videbimus plus ali-
Ser. » quid in Assumptione Matris ei
de » deferri, quàm in Ascensione fi-
Ass- » lii ipsi exhiberi, & hujus pompæ
ptio- » occursum illo non mediocriter
ne. » digniorem. Soli quippe Angeli
» ascendenti Christo occurrere
» potuerunt; ipse verò pariter cum
» totâ supernâ curiâ tam Angelo-
» rum quàm fidelium animarum
» ejus animam suscepit, in quâ ipse
» tam animam quàm carnem an-
» teà susceperat; nec animam so-
» lùm, verùm etiam corpus ad cæ-
» los hodie sustulisse creditur, ut
» animæ pariter & carnis glorifi-
» catione eam remuneraret, in
» quâ, ut dictum est, simul ani-
» mam & carnem decrevit assume-
» re. Cui quidem rei plurimùm at-
» testatur sepulchrum vacuum pe-
» nitùs repertum, sicut & anteà
» fuerat Dominicum; ut ipsa quo-

que resurrectionis gloriam & genuinam stolam adepta credatur, « sicut manifestè festiva hujus diei « Oratio continet his verbis. In « quâ sancta Dei genitrix mortem « subiit temporalem, nec tamen « mortis nexibus deprimi potuit, « &c. Cùm enim præmissum sit, « mortem temporalem, patenter « ostenditur, id quod subjunctum « est de vinculis mortis, ad mor- « tem illam carnis referendum es- « se, non ad mortem animæ, cujus « vinculis non detineri commu- « ne est omnibus electis. Quod di- « ligenter Beatus quoque Grego- « rius Turonensis attendens, cùm « de transitu ejus scriberet, ma- « turæ quoque Resurrectionis ejus « gloriam asserere non dubitavit. «

Jam illud mirari subit, cur Dissertator, qui cum Abailardo agnoscit Gregorium Magnum apertè nobis adstipulari, in castris Usuardi nihilominùs hære-

re malit. Quid enim? An non satis idoneus testis Gregorius cui credatur? An miraculum poscit assumptæ Virginis miraculo non impar, ut nempe Beatissima Virgo de suâ illâ felicitatis æternæ sede in terras descendat, præsensque ipsi adsit testimonium de corporis sui Assumptione latura? Sed si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.

Qui autem sæculo illo duodecimo cum Bernardo consenserint, hi sunt præsertim; Honorius Augustodunensis, Rupertus Tuitiensis, Hugo de sancto Victore, Petrus Cluniacensis, Adamus de sancto Victore, Ricardus de sancto Victore, Petrus Cellensis, Elizabetha Schonaugiensis, omnium verò apertissimè Michaël Glycas Græcus; sic enim scribit tertiâ parte Annalium. Etsi Virgo Mater naturæ legibus

legibus fuit obnoxia, tametsi « mortem degustavit, tametsi ut « homo in sepulchrum est deposi- « ta; naturæ tamen fines atque « terminos superavit & excessit, « neque sepulchrum & mortalitas « eam in potestate suâ retinere po- « tuit. Nam & ipsa de sepulchro « resurrexit, prorsus ut filius ejus « idemque Deus etiam fecerat, « solis sepulchralibus exuviis in « monumento relictis. Hactenus « ille, qui ad sententiam suam con- firmandam testimonio Juvenalis utitur, rationibusque non pau- cis ex Scripturâ Sacrâ deprompt- tis.

Quidni autem scriptoribus il- lis accenseamus Mauritium Epis- copum Parisiensem? Cùm enim piâ ejus curâ & sollicitudine as- surgere cœperit augustissimum hoc Parisiense Templum, in quo assumptæ Virginis laudes diu noctuque decantantur, an non

credere par est, tam pium Antistitem, non modò non desciviſſe ab antiquâ Eccleſiæ ſuæ traditione, ſed & ceteris in hoc Virginis aſſumptæ cultu exemplo ſuo præiviſſe?

Articulus Quartus.

Sanctus Thomas.

13. Sæculo. CUM in recenſendis Sanctorum Patrum aliorumque ſcriptorum ſententiis id quæramus præſertim quis fuerit per ſingulas ætates Eccleſiæ ſenſus de Aſſumptione Virginis, non eſt quòd hîc de auctoritate ſancti Thomæ, aliorumque Theologorum è Scholâ diſputemus. Quamvis enim illos egregiè ſpernat Diſſertator, cùm ita ſcribit, *De Scholaſticis autem, quos Baronius Patribus ſubjungit, perſpiciat ipſe, cujus auctoritatis eſſe*

Pag. 82.

possint, cùm nihil novi protulerint nec proferre valeant; non negabit tamen quin eorum quisque de sæculi sui traditione suffragium ferre valeat.

Sed & hoc obiter annotabimus, quâ ratione fidem eis hac in quæstione detrahere conatur, nempe quòd nihil novi proferant nec proferre potuerint, eâdem traditionis vim omnem atque auctoritatem penitùs convelli. Nam unde constat traditio, nisi ex unanimi nec interrupto multorum per diversa tempora in eamdem opinionem sensu? Non ergo necesse sit aliquid novi afferri ab iis qui priores sequuntur; cùm potiùs, si quid novi afferrent, suspectum evaderet novitatis, quia non traditum videretur. Si enim exempli causâ aliquid decimo ertio sæculo de Virgine assump protuliſſet sanctus Thomas quod prioribus sæ-

culis indictum & inauditum fuisset; num statim quæreretur, unde aut à quo illud didicisset? Nimirum ea traditionis conditio, ut qui posteriores sunt ætate id solummodò teneant quod ab antecessoribus acceperunt. Nec propterea à auctoritate carere dicendi sunt. Alioquin traditionis vis tota penes illos sita esset, à quibus primùm in cæteros dimanasset; quod nemo jure dixerit, cùm traditio catenæ instar sit cujus singuli annuli catenam conficiunt. Sed de his, ut diximus, obiter, cùm id modò quæramus, quid senserit Angelicus Doctor de Assumptione Mariæ Virginis.

Quis verò eum nobis eripere præsumat, cùm pluribus in locis Virginem Deiparam corpore in cælum evectam non asserat modò; sed etiam ex illâ Assumptione, tanquam ex indubitato

principio, colligat, eamdem Virginem ſanctificatam fuiſſe in utero materno? Ecce tibi tanti Doctoris verba, quibus reſpondet ad quæſtionem propoſitam, an Beata Virgo ſanctificata fuerit in utero materno.

Reſpondeo dicendum quod de « 3. p. q. 27 art. 1.
ſanctificatione B. Mariæ, quòd «
ſcilicet fuerit ſanctificata in ute- «
ro, nihil in Scripturâ Canonicâ «
traditur, quæ etiam nec de ejus «
nativitate mentionem facit. Si- «
cut tamen Auguſtinus in ſermo- «
ne de Aſſumptione ipſius Virgi- «
nis rationabiliter argumentatur «
quòd cum corpore ſit aſſumpta «
in cælum, (quod tamen Scriptu- «
ra non tradit) ita etiam rationa- «
biliter argumentari poſſumus «
quòd fuerit ſanctificata in utero. «

Duo præſtat ſanctus Thomas. Supponit tanquam certum Virginem Deiparam cum corpore aſſumptam eſſe in cælum, idque

rationabiliter probatum credit à sancto Augustino. Deinde verò argumento ducto à simili, colligit eamdem Virginem sanctificatam fuisse in utero materno.

Nec quemquam movere debet quòd Angelicus Doctor testem proferat Beatum Augustinum, quem tamen non esse auctorem sermonis qui de Assumptione inscribitur & inter ejus opera legitur tomo decimo, docti omnes consentiunt. Nam vel hinc manifestè apparet nullam tempore sancti Thomæ dubitationem exortam de Assumptione Mariæ Virginis, quandoquidem nec de illo sermone utrum esset Augustini, aut Fulberti Carnotensis Episcopi, disceptabatur.

Porrò traditionis ejusdem illo sæculo 13. fidem faciunt Albertus Magnus, Nicetas Choniates, Bonaventura, Bertramus

apud Cæsarium, Guillelmus Durantius, Jacobus Genuensis, alii pæné innumeri ; maximè verò Guillelmus Aruernus Parisiensis Episcopus, cujus testimonium antequam profero, quædam hîc præmittenda duxi, quivis ut intelligat quàm immeritò Dissertator Ecclesiæ Parisiensis suffragium toto passim libello sibi vendicet.

Magnâ quidem fiduciâ operis initio prædicat, Martyrologium Usuardi ubique in Galliâ quasi peculiare statim fuisse assumptum. Quod ego cùm legerem, non minori indicio ipsi compertum esse rebar, quàm si litteras undecumque accepisset ex universis Galliæ Ecclesiis. Verùm ubi animadverti, non alias ab eo laudari Ecclesias quàm Senonensem ac Bellovacensem ; atque hanc non Cathedralem, quæ Martyrologio Usuardi non uti-

tur; sed Collegiatam sancti Nicolai duntaxat; facilè ad eorum sensum accessi, qui Martyrologium Usuardi in quamplurimis Ecclesiis Galliæ non legi asseverant. Quamquam, nec si in omnibus legeretur, hinc inferre liceret, eas Usuardi opinionem de morte B. Virginis sequi, cùm traditionis suæ tenaces, ad ejus verba nunquam fortè adverterint. Quod exemplo Parisiensis Ecclesiæ comprobari potest, quæ Usuardum ad diem 15. Augusti legi eò usque passa est, donec ejus fraude detectâ, substituit homiliam incerti auctoris, cujus suprà mentionem fecimus. Quod à centum & ampliùs annis factum.

Pari quoque fiduciâ Parisienses Episcopos suas in partes trahere nititur Dissertator, ob acceptum ejusdem Usuardi Martyrologium. Quasi verò id eis in

mentem

mentem unquam venerit, quænam verba aut quo è Martyrologio recitarentur à puero Symphoniaco in Vigiliâ Festi Assumptionis. Etsi verò satis mirum videatur, è tanto numero Parisiensium Episcoporum, unum duntaxat Ludovicum de Bellomonte testem proferri; quem accersitis ex Cœnotaphio & Necrologio laudibus exornari non ægrè ferimus; majori tamen admiratione digna ratio, propter quam tam pii ac sancti Præsulis suffragium sibi asserere ausit Dissertator, nempe, *Quia Ioannes Muneratus doctor Theologus Navarricus in Præfatione ad Martyrologium Vsuardi quod editum est Parisiis anno 1490. profitetur se istud concinnasse juxta desiderium votum ac petitionem reverendi in Christo patris ac D. Ludovici misericordiâ divinâ Parisiensis Episcopi.* Pag. 5.

Hîc ab æquo Lectore postulo, num inde sequatur Ludovicum de Bellomonte Usuardi sententiam de morte Virginis amplexum esse, quia juxta illius desiderium, Martyrologium Usuardi concinnatum est ? Pari ergo jure inferre posset Usuardi patronus, quæcumque in Usuardi Martyrologium irrepsere menda probata esse à Ludovico de Bellomonte, qui forte quid Usuardus scripsisset ad diem 15. Augusti nunquam vel somniando cogitaverat. Quid autem dico ? pari quoque, immo & potiori jure asserere posset (atque id forsan persuasum iri posteris sperat) opus suum probari ab illustrissimo Harduino Perefixio, quo Archipræsule meritissimo jam septem annos gloriatur Ecclesia Parisiensis, atque ut diu fruatur incolumi, annos precamur de nostris. Nun-

quid enim Epistolam Dedicatoriam Dissertationi suæ præfixam tanti Præsulis nomine insignitam esse voluit ? Quem tamen, si quis alius, ab Usuardi sensu alieniſſimum esse, cùm alia multa probant, tum hoc præsertim quòd ipso jubente, hanc tuendæ communis Catholicorum sententiæ de assumptâ Virgine provinciam suscepimus.

Cùm igitur plurimùm interſit, ne qua hæreat suspicio, Parisienses antistites Usuardi sententiæ unquam esse adstipulatos; commodè occurrit hoc sæculo 13 Guillelmus Parisiensis, tot ille libris editis clarus, quem, ut præcedentium antistitum sententiam amplexum esse nullus dubitandi locus; ita & eos, qui post se vixerunt, suæ hac in causa fidei hæredes habuisse, eventus ipse satis comprobavit. Exstant inter ejus opera sermones

duo, quos de Assumptione Beatæ Mariæ inscripsit. In secundo, proposità quæstione, *Vtrum Beata Virgo tantùm assumpta sit in animâ, vel in animâ & corpore;* plurimas rationes adducit tum ex Augustino tum ex Bernardo, quibus suscitatam B. Virginem, & corpore & animâ glorificatam probet. Ac tandem cum Augustino concludit, *Consideratis ergo omnibus his, verâ ratione sentio Mariam ad æternitatis gaudia gloriosè assumptam, Christi benignitate ceteris honoratius susceptam, & ad communem putredinis, vermis & pulveris humilitatem non esse adductam; putredo namque & vermis opprobrium est humanæ conditionis.*

Addit de suo Guillelmus Parisiensis hæc verba. *Opprobrium verò contrarium est honori. Matrem ergo perfectè non honorasset, si ab hoc opprobrio non liberasset.*

Itaque desinat adversarius Ludovicum de Bellomonte, aut quemvis alium ex Parisiensibus Episcopis suis partibus vendicare, cùm hoc uno argumento satis constet eos omnes Usuardi sententiæ semper adversatos, quòd inter Missarum solemnia festo die Assumptionis nullo unquam tempore omiserunt collectam toties à nobis laudatam *Veneranda nobis Domine, &c.* Quam Dissertator ipse, non semel fatetur aliter intelligi non posse, quàm de totali, ut loquitur, Assumptione Beatæ Virginis.

Articulus Quintus.

Ioannes Gerson Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis.

QUò propiùs ad tempora nostra accedimus, eò plu- 14. Sæculo.

ra nobis suppetunt probandæ quam tuemur assertionis argumenta. Quia nempe si quid olim caliginis ei adsperſum fuerat, id subinde excussum est, crescente in dies fidelium in Mariam assumptam studio ac pietate. Itaut vix necesse sit probationem nostram ad ea quæ restant sæcula producere. Quia tamen dum eamdem telam ordimur, multa interim occurrunt, quæ tum refellendo Dissertatori, tum stabiliendæ sententiæ nostræ magis ac magis prosint, ideò ab institutâ methodo non esse discedendum judicavimus.

Ne cui ergo mirum videatur quod dixi, assertionem nostram de Assumptione Virginis novam ex succedentium sibi temporum lapsu hausisse lucem, audiat Gersonem idipsum disertis verbis affirmantem, quartâ parte operum sermone de Concep-

tione, Spiritus sanctus, inquit, « interdum revelat Ecclesiæ vel « doctoribus posterioribus aliquas « veritates vel expositiones Sacræ « Scripturæ quas non revelavit « eorum prædecessoribus. Sic di- « cit Gregorius Danielis 12. per- « transibunt plurimi & multiplex « erit scientia Domini. Ideò « Moyses scivit plusquam Abra- « ham, Prophetæ quàm Moyses, « Apostoli quàm Prophetæ, & « Doctores addiderunt multas ve- « ritates ultrà Apostolos. Qua- « propter dicere possumus hanc « veritatem B. Mariam non fuisse « conceptam in peccato Origina- « li ex illis esse veritatibus quæ « noviter sunt revelatæ vel decla- « ratæ tam per miracula quæ le- « guntur, quàm per majorem par- « tem Ecclesiæ sanctæ quæ hoc « modo tenet. Fuit tempus ali- « quod in quo non tenebatur ge- « neraliter Mariam Virginem esse «

„in Paradiſo cum corpore & ani-
„mâ ſicut modò tenetur, & ſi-
„militer poſt inſtitutionem Feſti
„Nativitatis ſancti Joannis, Na-
„tivitas noſtræ Dominæ ordina-
„ta fuit per revelationem unius
„ſolius fœminæ, & multa ſimilia.

Ex his Gerſonis verbis conſtat ſæculo 14. & 15. (nam ad utrumque pertinuit) generaliter, ut loquitur, creditum in Eccleſiâ quòd Maria Virgo corpore & animâ in cælum evecta fuerit. Cùm autem addit, fuiſſe tempus aliquod in quo non tenebatur ita generaliter, alludit procul dubio ad illa tempora in quibus nondum compertum erat libellum de Aſſumptione qui ſancto Hieronymo adſcribitur, non eſſe Hieronymi; quo quidem libello aliquos in dubitationem inductos eſſe non diffitemur. Quæ tamen paucorum dubitatio non interrupit ſeriem

conſtantis ac perpetuæ traditionis Eccleſiæ de aſſumpto corpore Virginis. Porrò ex iiſdem Gerſonis verbis intelligitur, non ſemper opus eſſe novis argumentis hiſtoricis (quod contendit Jolius) ut quædam Catholicæ veritates magis ac magis innoteſcant. Sufficit enim, inquit Gerſon, quòd illæ veritates noviter ſint revelatæ, vel declaratæ per majorem partem Eccleſiæ, quæ hoc modo tenet. Quod probat exemplo Conceptionis Beatæ Virginis abſque peccato Originali.

Quòd autem Eccleſia credat Mariam Virginem animâ & corpore in cælum evectam, alibi quoque docetur ab eodem Gerſone his verbis. Ad dextram Filii Beata Virgo Mater Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti exaltata eſt ſuper omnes choros Angelorum, ut credit ſancta Ma- « *In ſumma Theologor. de Gaud Parad.*

ter Ecclesia, cui non est derogandum. Si, quod vult Gerson, Ecclesia credit Mariam Virginem super omnes choros Angelorum exaltatam, non ergo id cum pietate nescit, ut asserit Usuardus. Quæ enim ab Ecclesia nesciuntur, quomodo ab ea credantur? Sit quidem pietas, cùm quis se cohibet ab assensu, quia non idoneis argumentis ad credendum adducitur; sed cùm semel credit, non amplius dici potest id nescire quod' credit. Uno verbo piè nescire non est piè credere. Quapropter, etsi rectè dici possit piè credendam esse Assumptionem Beatissimæ Virginis animâ & corpore, non tamen ad mentem Usuardi & Dissertatoris, qui piam illam credulitatem cum merâ ignoratione & nescientiâ confundunt. Quâ in re dici non potest, quantùm Ecclesiæ, quan-

tùm Virgini Deiparæ præjudicent.

Addit Gerſon non eſſe derogandum Eccleſiæ in eo quod de Virgine ſuper choros Angelorum exaltatâ credit. Quibus verbis ſe ab Uſuardi ſenſu abhorrere prorſus oſtendit. Si enim, ut opinatur Uſuardus, *elegit ſobrietas Eccleſiæ piè neſcire ubi occultatum ſit corpus Beatiſſimæ Virginis*, quâ ratione poteſt ei derogari? An ille derogaret, qui negaret ſe ſcire, utrum cælo ſit receptum corpus Virginis, ac proinde, qui ſe id quoque profiteretur non credere? minimè. Non enim ei derogatur, cujus legi & exemplo mos geritur. Hanc autem de aſſumpto corpore Virginis ſententiam ſæculo eodem amplexi ſunt Nicephorus Calliſtus, quem Diſſertator ingenuè agnoſcit *apertiùs loquutum eſſe de Aſſumptione corporali*, Durandus

Lib. 3. sent. dist. 3. q. 1. à sancto Portiano, cujus hæc sunt verba notatu digniſſima. „ Incineratio seu reverſio corporis humani in pulverem eſt pœna peccati originalis, ſecundùm „ legem communem, per quam „ natura derelicta fuit ſibi; & ideò „ ſicut de terra formatum eſt corpus, ſic in terram revertitur. „ Sed Beata Virgo previlegiata „ fuit in hoc articulo rationabiliter, ut ſicut corpus Chriſti ſumptum de corpore Virginis fuit immune à tali corruptione, ſecundùm illud Pſalmiſtæ, non dabis ſanctum tuum videre corruptionem; ſic corpus Virginis, de quo „ fuit ſumptum corpus Chriſti, „ fuit immune ab eàdem corruptione.

Nec quemquam dicturum putem; ſi corpus Beatæ Virginis immune fuit à corruptione, non inde ſequi, fuiſſe ad cælum evectum. Nam præterquam-

quod qui è ſanctis Patribus, unum admiſerunt, alterum quoque ſunt amplexi, nonne vel hinc optimè colligitur, Beatæ Virginis corpus cælo eſſe receptum, quòd nullus ſit locus in terris ubi deliteſcere ac ſervari dicatur: immò quod nullæ omnino ejus reliquiæ ſint ſuperſtites, quemadmodum tot Martyrum ac Confeſſorum ſuperſunt? Sed de his aliàs. Hic ſufficiat, paucos è multis indicaſſe, qui ſæculo 14. traditionem, quam tuemur, communiter eſſe receptam teſtantur.

Articulus Sextus.

Theologi Pariſienſes.

Hactenus ſingulos Theologos audivimus, dum mentem ſuam de aſſumpto corpore Virginis clariſſimis verbis 15 *Seculo.*

expromerent. Jam collectos simul audire juvat, & eâ quidem in Facultate collectos, cujus Decreta, ceteri ubique Christiani Doctores ac populi amplectuntur ac colunt. Sacram Parisiensem Facultatem intelligo, quæ in hac, quam versamus quæstione, mentem suam non aperuit modò, sed & gravi editâ Censurâ sedulò cavit, ne quis imposterùm aliter de Virgine assumptâ sentiret, ac ipsa sentiendum edixit. Quâ verò occasione Censuram emiserit, paucis aperio.

Contigit anno Christi 1497. ut Frater Joannes Morcellus è Dominicanorum familiâ Theologus, inter concionandum festo die assumptæ Virginis in Basilicâ sancti Benedicti, quatuor propositiones de Mariâ Virgine ineptissimè effutiret, quas latè videre licet in Censurâ quam integram ad calcem hujus operis

exſcribi curavimus. Id ubi ad Sacram Pariſienſem Facultatem relatum, duo ſtatim præſtitit. Primùm Comitiis habitis die 23. menſis ejuſdem, juſſit propoſitiones revocari ab eodem Fratre Morcello, quem ſibi eo conſilio ſiſti voluit. Deinde habito conſenſu Joannis Simonis qui tum Pariſienſi Eccleſiæ præerat Epiſcopus, mandavit eidem Morcello, ut in concione quam habiturus erat eadem in Baſilicâ feſto die Nativitatis S. Mariæ, tum propoſitiones à ſe temere editas revocaret, tum Cenſuram coram populo legeret, quâ Sacra Facultas ſingulas ex illis propoſitionibus notaverat. Quod utrumque à Morcello præſtitum.

Porrò inter illas propoſitiones hæc erat quarto ordine deſcripta, *Nos non tenemur credere ſub pœnâ peccati mortalis, quòd*

Virgo fuit assumpta in corpore & animâ, quia non est Articulus Fidei. Quid verò Sacra Facultas? In hanc propositionem suâ censurâ sic animadvertit. *Vt jacet, temeraria, scandalosa, impia, devotionis populi ad Virginem diminutiva, falsa & hæretica, ideò revocanda publicè.*

De ceteris quidem notis à Sacrâ Facultate huic propositioni inustis, facilè omnes consentiant. Quòd verò hæreseos damnata videatur, illud est quod nonnullis scrupulum movere possit. Etsi enim non desint Theologi qui id asserant, plures tamen esse qui propositionem eamdem erroneam duntaxat pronuntient, non hæreticam, suprâ admonuimus.

At si rectè perpendantur verba Censuræ, nihil, opinor, difficultatis supererit. Non enim ob id damnatus hæreseos Morcellus

cellus quod negaret Mariam Virginem corpore in cælum evectam ; sed quod doceret ideò nos non teneri sub pœna peccati mortalis id credere, quia non est Articulus Fidei. Quàm multa enim sunt, quæ inter Articulos Fidei non censentur, quibus tamen tenemur assentiri sub pœnâ mortalis peccati. Exempli causâ, non est Articulus Fidei servandum esse Quadragesimale jejunium ; si quis tamen negaret esse servandum, an non mortalis peccati labem incurreret ? Multa sunt ejusmodi, quibus commemorandis supersedeo. Itaque, propositionem Morcelli tot aliis nominibus sibi invisam, non tam damnavit hæreseos sacra Facultas, quàm rationem, quâ in eâ asserendâ usus fuerat Morcellus.

Ceterùm, vel hoc uno intelligi potest, quàm certùm, quàm

indubitatum haberetur, Mariam Virginem corpore in cælum evectam. Quid enim ? Vix aliquid quo læderetur communis hac in re fidelium religio prolatum fuit à Concionatore, (nemo autem nescit non ad amussim expendi si quid inter concionandum exciderit,) cùm ecce nullâ interpositâ morâ Theologi Parisienses tanquam ad commune incendium restinguendum accurrunt. Concionatorem statim ad se vocant. Jubent retractari propositionem *temerariam scandalosam, impiam, devotionis populi ad Virginem diminutivam, falsam.* Neque id solùm, sed & ad Parisiensis Episcopi sacram auctoritatem confugiunt, ut junctis viribus, natum vix errorem validiùs proscribere valeant.

Hinc apud se reputet Dissertator quàm graviore scandalo in hanc Usuardi odiosam defen-

sionem descenderit, cùm ea quæ scripsit adversus communem Ecclesiæ sensum de assumpto corpore Virginis nec revocatione, nec censurâ prorsus emendari possint. Quippe, quod semel edito libello in vulgus emiseris, non similiter ut ea quæ voce duntaxat emittuntur, evanescit; sed stat manetque quantumcumque revocaveris. Adde & illud, Censuræ, si qua intervenerit, notitiam non ad illos omnes pervenire, ad quos damnatus libellus pervenerat.

Quæ omnia cùm attenderem, subiit animum ista cogitatio, quæ mens fuisset doctissimis Theologis, qui Dissertatoris opusculum suo suffragio commendarunt, si quo tempore lata est Censura vixissent. Sanè nullus dubito quin prosuâ in subscribendis Censuris erga Sacram Facultatem reverentiâ, Censuræ

tunc ab illa editæ subscripsissent, & cum ceteris prompti accurrissent ad commune, ut dixi, incendium restinguendum præsertim ab illo Theologo excitatum. Cur ergo aliter nunc sentiant? an aliquid novi detectum, quo vetustissima de Assumptione Virginis traditio retractetur? Nihil sanè. Imò, magis ac magis invaluit, atque indies invalescit, vel Aurelio teste, à cujus judicio, non libenter discedant Approbatores sapientissimi. Ex quo, magna me spes tenet fore ut approbationem illam suam retractaturi sint, ubi, quantùm in examinando Dissertatoris opere diligentiæ adhibuerunt; tantùm in expendendis rationibus Baronii, & aliis impenderint.

Quis verò miretur tanto concursu damnatam eo sæculo propositionem Morcelli, cujus damnationi præivissent qui eodem

sæculo suam de assumptâ Virgine mentem scriptis eruditissimis consignaverunt, Laurentius Justinianus, Bernardinus Senensis, Antoninus Florentinus, Joannes Simon Episcopus Parisiensis, Ludovicus Pinella Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, deinde Metensis Episcopus, Joannes de Turrecremâtâ, Marcus Antonius Sabellicus, quem sic mentem suam aperientem audire juvat, Æque memorabile « est quod de sacratissimo Deiparæ « corpore tenet pro certo Chri- « stiana pietas, fuisse id post Vir- « ginis obitum cælo illatum. Opor- » tuit sanè omnis esse corruptionis « immune corpus nulláque humanâ labe contactum. Nec verò « ulla (quod satis constat) ejus se- « pulchri vestigia exstant in ter- « ris, sepultive corporis memoria, « quæ piorum opinioni repugnet. «

Articulus Septimus.

Baronius.

16. Sæculo. LONGUM sit nomina duntaxat eorum recensere qui elapso proximè sæculo veterem de Assumptione Virginis traditionem secuti sunt, doctissimisque scriptis asserverunt. Sufficiat admonuisse, ne unum quidem ex Catholicis Scriptoribus exstitisse qui eâ de re dubitaverit, nedum contradixerit. Soli id arripuerunt Heterodoxi, qui cùm universis ferè Mysteriis, quæ Catholica recipit Ecclesia, bellum indixissent, huic quoque parcendum non putarunt. Quamquam non omnes tamen. Nam Bullingerus magni apud eos nominis, quam in Ecclesiâ Catholicâ imbiberat fidem non deseruit. Ita enim scribit. Cre-

dimus & Deiparæ Virginis Marię puriſſimum Thalamum & Spiritus ſancti Templum, hoc eſt Sacro ſanctum corpus ejus deportatum eſſe in cælum. Brentius quidem cuique ut vult ſentire permittit, Mariam in cælos aſſumptam unâ cum corpore, vel ſecundùm animam tantùm. Adjungit tamen hæc verba. Potuit fieri quòd ſicut Enoch tranſlatus eſt in cælum corpore, & ſicut multa corpora ſanctorum reſurrexerunt cum Chriſto, ita & Maria cum corpore tranſlata ſit in cælum. Rivius verò etſi affirmare non auſit Mariam in cœlis unâ cum corpore aſſumptam eſſe, tamen hoc veriſimile videri; neque à ſe prorſus negari, apertè profitetur. Plures alios ex Heterodoxis prætereo qui à priſcâ Eccleſiæ traditione non omnino deſciverunt. Et certè vix fieri poſſe exiſtimo,

ut qui semel, Mariam Virginem Deum genuisse atque adeò verè θεοτόκον appellandam sincerè crediderit, de perfecta ejus in cælum Assumptione dubitet.

Sed ut redeam ad Catholicos scriptores superioris sæculi, non negat Dissertator magnum Baronium sibi adversari, cui eam ob causam infensissimum se præbeat. Quo tamen Adversario quantum Usuardi causę præjudicium nascatur, nemo non videt. Quis enim credat, Illustrissimum Annalium conditorem, qui traditionem Ecclesiæ per singulas ætates aliis in quæstionibus tam feliciter assecutus est in hac à vero aberrasse, & alios, in errorem inducere voluisse? Suspicatur quidem Dissertator Baronium non suâ sponte, adhujus causæ patrocinium descendisse. Sed quàm malevolè hoc ut & alia multa, in tantum virum

rum conjectet, infrà obſervabimus.

Non neget etiam Diſſertator Bellarminum pro nobis ſtare, nec, ut verbo dicam, Scholaſticos Doctores omnes, quos parum abeſt quin gloriæ ducat in hac causâ habere adverſarios. Sic enim de illis per contemptum pronuntiat: *De Scholaſticis autem quos Baronius Patribus ſubjungit, perſpiciat ipſe, cujus autoritatis eſſe poſſint, cùm nihil novi protulerint, nec proferre valeant. Et tametſi illi in omnibus rejici non debeant, nihilominus apud venerandæ antiquitatis cultores parum pollere eos conſtat, niſi cum veritate antiqua concordent.* Quibus quidem poſtremis verbis fucum facere voluit Lectoribus. Quis enim velit Scholaſticos auctoritate pollere, *niſi cum veritate antiquâ concordent?* Sed de veritate antiquâ hîc quæritur. An

Pag. 82.

autem existimat, cùm Scholastici docent Virginem corpore in cælum translatam, non id antiquam veritatem credere, aut non satis expendisse, quemadmodum ad eos hæc quam amplectuntur traditio antiqua pervenerit? An communi conspiratione invexerunt quidpiam contra receptam fidem? An denique sibi potiùs credi vult neganti assumptum corpus Mariæ Virginis, quàm Scholasticis omnibus post Sanctum Thomam id unanimi consensu profitentibus?

Pag. 82. At, inquit, *Scholastici in eâ re omnes non consentiunt. Siquidem disputantes an ista Assumptio corporalis sit de fide, alii aiunt, alii negant.* Fateor quidem discrepare inter se quatenus & quomodo credendum sit Mariæ Virginis corpus assumptum esse in cælum; sed omnes in rei substantiâ conveniunt, nempe Vir-

ginem corpore in cælum tranſlatam. Nulla inter illos eo nomine controverſia. Nec ſi aliqui de fide non eſſe pugnant, propterea certitudinem ejus negant. Cur ergo eos non ſequitur, qui, niſi res clariſſima eſſet, non facilè inter ſe conſenſuri erant? Quin & iſta quam illis objicit diverſitas argumento eſt rem ab ipſis accuratiſſimè perpenſam. Adde, id etiam uſu venire in aliis ferè omnibus quæſtionibus, quæ apertè in Scripturâ Sacrâ aut traditione divinâ non continentur, de quibus variæ ſunt inter Theologos ſententiæ, an ſint de fide an non, & quomodo credi debeant; cùm tamen de certitudine illarum omnes conveniant. Exempli causâ, conveniunt Theologi omnes Concluſionem Theologicam conſtantiſſimæ veritatis eſſe; diſſentiunt tamen inter

se, cùm nonnulli asserant eam divinâ fide credendam, atque hæreticum habendum qui negaverit, ut ipsa per se se consideratur; alii verò nolint ad fidei veritatem pertingere, sed erroris solùm damnent si quid adversùs eam pronuntiatum fuerit. Theologi quoque ferè omnes consentiunt dari habitus supernaturales, atque illud ipsum certissimum putant; dissentiunt tamen an sit de fide illos habitus dari. Sexcenta sunt exempla ejusmodi quæ prætermitto, ut Dissertatorem admoneam, Thomam Aquinatem, Bonaventurã, Scotum, Durandum, Gersonem, & alios innumeros è Scholâ Theologos id saltem præstanti famâ meritorum, immensisque pro Ecclesiâ editis lucubrationibus ab illo impetrare debuisse, ut eorum testimonia non sine honoris præfatione rejiceret, rei-

que, quod aiunt, atrocitatem lenitate verborum mitigaret. Sed perpetuum hoc fatum Scholasticorum Theologorum, ut quicumque adversùs Catholicas veritates scribere aggrediuntur, continuò bellum ipsis indicant, & quos solidis rationibus refellere nequeunt, contemptu ac maledictis insectentur.

Audiat verò clarissimum istius sæculi Poëtam Joannem Baptistam Mantuanum, hæc de Virgine assumptâ canentem.

Hæc est illa dies quà Christus in æthera Matrem
Sustulit indutam membris, sic credere sanctum est:
Nam nec erat locus in terris, ubi viscera condi
Fas foret, æternum quæ progenuere parentem.

Audiat etiam Simonem Maiolum Astensem Episcopum, prosâ oratione eadem asserentem. So-

» la Mater Dei Maria majus pri-
» vilegium in suâ carne sensit. Nam
» in cælum ascendit, non in hunc
» paradisum terrestrem. Ut enim
» Filius resurgens in carne ad dex-
» tram Patris ascendit; ita & Mater,
» è cujus carne Deus carnẽ assump-
» sit, eumdem in locum assumpta
» est, Joanne Damasceno claris ver-
» bis explicante atque omni Dei
» Ecclesiâ ita firmiter asseverante.

Si omnis Dei Ecclesia firmiter asseverat corpus Mariæ Virginis in cælum esse assumptum, cur id asseverare non audet Dissertator? Cur asseverantes impugnat? Cur in eamdem secum dubitationem trahere molitur quotquot hactenus ne minimam quidem eâ de re dubitationem habuerunt? Sanè longè æquiùs ut ipse deponat contra tot asseverantes dubitandi audaciam, quàm ut speret eos modestam quam huc usque cum Ecclesiâ asseve-

rationem amplexi sunt, absque ratione ullâ esse deposituros.

Articulus Octavus.

Petrus Aurelius.

Cum non neget Dissertator quin hoc quo vivimus sæculo, Mariæ Virginis corpus in cælum esse translatum Catholici omnes credant, resque ipsa per se sit manifesta; non est quòd testibus adducendis tempus insumam. Et verò si testes peteret, monerem ut consuleret non singulos modò Theologos; sed & Theologorum Collegia seu Facultates quâcumque Christianus orbis se porrigit. Ab iis enim hoc responsi haberet, se traditam à majoribus doctrinam sequi, nec de Assumptione Virginis aliter sentire, quàm Græci Latinique Patres, & cum iis

Theologi è Scholâ omnes sensérunt. Verùm cùm id non exigat Usuardi Patronus, qui Catholicos omnes sibi hac in causâ adversari nihili putat, in unico Petro Aurelio paulisper immoremur.

Pag. 83. Agnosco quidem de me Dissertatorem loqui, cùm ait *ab oppugnatore quodam Vsuardi allegatum esse palam in Capitulo Parisiensi Petrum Aurelium, quasi auctorem haud ingratum iis qui Vsuardo favebant, & cujus auctoritatem non exigui ponderis apud eos esse debere insinuabat.*

Si quid hîc à me peccatum, communem cum illis culpam admisi, qui argumentandi genere utuntur quod ad hominem vocant, quique in Adversarium eosdem auctores proferunt, quos ipse majori in pretio habet. Non dixi tamen Petrum Aurelium iis non ingratum qui Usuardo fave-

bant. Si ita mentem meam interpretatus est Dissertator, neque reverâ ipsi ingratus Aurelius, per me licet. Sed eò major vis argumenti quò adversùs ipsum pugnavi. Quid enim hîc quærimus, nisi quis fuerit sitque etiamnum sensus Ecclesiæ de Assumptione Virginis? An non autem ad id probandum testis idoneus Petrus Aurelius, Usuardi fautoribus, quando ita agnoscit, non ingratus? Qui cùm in causâ simili versaretur, hoc ipso exemplo assumptæ Virginis animâ & corpore usus est, asseruitque id esse certissimum, quia consensu Ecclesiæ fulcitur, quamvis ad certitudinem fidei divinæ non ascendat. Equidem audio doluisse Aurelii amicis id ab eo scriptum esse, ex quo sequatur Ecclesiam firmum aliquid habere quo nitatur in rebus facti definiendis. Sed tum

cùm scribebat Aurelius, non existimabat contrariam doctrinam sectatoribus suis usui futuram. Quid autem Dissertator ad Aurelium? Primùm, ejus verba interpretari cònatur, & trahere in partes suas: deinde postquàm id non succedit, hominem deserit, & parùm amicè *inter Neotericos illos collocat, qui præscriptos ab Ecclesiâ limites egrediuntur, quæ negare vetat quod asserere non præsumit, quæque piè ac libenter credit, quod fieri & potuit & decuit, & factum esse probabile est.*

Pag. 85.

Jam suprà deteximus ejus versutiam in illo piæ credulitatis quod passim obtrudit vocabulo. Nam quomodo piè credat Ecclesia quod ipsi prorsùs ignotum esse vult Usuardus? Est-ne aliqua probabilitas ubi rationes nullæ suppetunt ad credendum? Nullos autem suppetere vult Jolius, qui omnes quæ afferuntur

datâ operâ refellit; nec alia ad id probandum argumenta nisi historica admitti debere censet, quæ nulla esse, nec esse posse pariter existimat. An dicere potest *decuisse*, ut corpus Virginis in cælum eveheretur, quandoquidem ipsemet ait *Honorem Reginæ judicium diligere*, quo innuit contra Bernardi mentem, eum honorem Matri Dei non esse debitum, atque adeò nisi imprudenter ipsi posse concedi?

Quomodo verò explicat Aurelium? Ait ipsum hoc solummodo velle, ut nemini fas sit negare Virginem corpore in cælum evectam. *Quid autem*, inquit, *Petrus Aurelius affert quod Assumptionem corporalem B. Virginis adeò firmiter constabilire valeat?* Beatissimam Virginem Deiparam, *inquit*, corpore simul & animâ in cælum iviisse verissima doctrina est; *sed eâ doctrinâ*, Pag. 85.

quâ contrarium docere nequimus, hoc est, quà B. Virginem corpore simul & animâ evectam in cælum fuisse negare non possumus. Illud est enim solum, quod Ecclesiæ consensus agnoscit.

Ita-ne verò id solùm vult Aurelius, ut non negetur B. Virginem corpore in cælum esse evectam, nec aliquid ampliùs postulat? Quomodo ergo stare potest quod ait *esse verissimam doctrinam, & certitudinem habere omni humanâ majorem.* Quid? juxta Aurelium nobis magis certum esse debet, Mariam Virginem in cælum corpore assumptam, quàm quicquid vel historici omnes vel alii quivis homines, de quorum fide non dubitamus, nobis referunt; neque tamen audebimus id asserere? Verissima doctrina est quam propugnamus, & omni humanâ certitudine major, teste Aurelio; &

tamen si credimus adversario, nolit Aurelius id affirmari ? Piget in his sophismatibus refellendis diutiùs versari, libentiùsque fero Petrum Aurelium inter Neotericos collocari, quàm ejus sensum ita perversè ab eo exponi ; sed etsi Neotericus Aurelius, non tamen hîc præscriptos ab Ecclesiâ limites transgressus est, neque hoc ei ab Adversario in quem pugnabat objectum fuit.

Huc fluxit usque series Auctorum per singula sæcula, quorum per manus assumptæ Virginis traditio ad nos venit. Huic autem Capiti finem non imponam priùs quàm in medium adduxerim non vulgaris nominis Auctores duos ; alterum ex Italiâ, alterum ex Hispaniâ, quorum testificatione pateat doctrinam, pro quâ pugnamus, non unâ contineri Galliâ.

Prodiit nuper in Italiâ, ut jam indicavi, Martyrologii B. Hieronymi exemplar locupletissimum, editore Francisco Mariâ Florentinio nobili Lucensi; quo in opere multa quæ ad hanc quæstionem pertineant doctè observata continentur. Florentinium autem nobiscum hîc sentire apertè patet ex ejus verbis Exercitatione 5.

„ Igitur ne actum hoc agamus
„ & inutili labore apocryphos à
„ sinceris discernamus, quod Ba-
„ ronius aliique præstiterunt, hanc
„ ex eodem Baronio Tom. 1. An-
„ nal. ad annum 48. Catholicam
„ veritatem suscipimus & devoto
„ animo veneramur, Deiparam
„ diem aliquando supremum obiis-
„ se & ad cælum cum glorioso
„ etiam corpore assumptam trans-
„ migrasse; verè proinde Eccle-
„ siam sanctèque ejusdem glorioſæ
„ Assumptionis festum instituisse.

Eòque libentiùs utramque Catholicam veritatem ſuſcipimus, quòd Martyrologium noſtrum non tam xv. Kal. Februarii diem depoſitæ mortalitatis ſub nomine depoſitionis commemoret, quàm & glorioſam ejus in Empyreum Aſſumptionem exhibeat eâdem pariter die 15. Auguſti, quâ Eccleſia univerſa in Sanctiſſimæ Matris triumphum, omnium gentium linguis & omnium fidelium plauſu conſpirat.

Florentinio meritò adjungimus Joannem Tamayonem Salazarum in Martyrologio Hiſpano edito Lugduni 1656. Is enim multa affert, quibus probet hunc fuiſſe olim eſſeque nunc Catholicorum in Hiſpaniâ ſenſum, quòd Maria Virgo corpore in cælum evecta fuerit. Verba Martyrologii Hiſpani hæc ſunt.

Decimo octavo Kalend. Septembris.
Die XV.

„ A. ASSUMPTIO Sanctissi-
„ mæ Dei genitricis Vir-
„ ginis Mariæ D. N. Cujus festi-
„ vitas apud Hispanos solemnissi-
„ mâ veneratione recolitur, &
„ viscerali pietate veneratur, ita-ut
„ ferè hujus Catholicæ Provinciæ
„ Basilicæ Cathedrales præcipuæ
„ hujusmodi inveniantur consecra-
„ tæ mysterio.

In notis ad hæc verba, solvit Salazarus quæstiones aliquot circa Mariæ Virginis mortem & Assumptionem. Ait enim 1. nunquam Ecclesiam Catholicam dubitasse de obitu Virginis Matris. 2. non obiisse martyrio. 3. mortem sine dolore ullo gustasse. 4. supervixisse post Filii mortem 24. annis, mortuam anno è Christo nato 57. ætatis

suæ

ſuæ 72. 5. Apoſtolos ejus morti & ſepulturæ interfuiſſe. 6. animâ & corpore aſſumptam in cælum. 7. poſt triduum mortis.

Poſt illas quæſtiones memoratus Auctor hæc habet. Quibus « ſic prælibatis venio ad Acta quæ « in hac dormitione evenere, quæ « dabimus deſumpta ex aliquibus « Breviariis vetuſtis & Legendariis « Hiſpaniæ præcipuè M. S. apud « me Segobienſi ſic. «

Acta Dormitionis & Aſſumptionis B. Virginis Mariæ Dei genitricis, Dominæ noſtræ ex Legendario Segobienſi M. S. & aliis Breviar.

In illis autem Actis habetur, quòd B. Virgo ſurrexit è tumulo, & corpore ut animâ in cælum eſt aſſumpta.

De inſtitutione feſti Aſſumptionis ejuſque antiquitate multa refert idem ſcriptor; adducitque teſtimonium ex Breviario

& Missali Isidoriano ab Isidoro Hispalensi Antistite & aliis Præsulibus Hispaniæ coadunato, in quibus Officium Mysteriis plenum festo die Assumptionis reperitur.

Ceterùm, in hoc assumptæ Virginis cultu non inferior Germania ceteris Christiani orbis provinciis. Immò etiam superior; ut quæ apud Georgium Coluenerium habentur legentibus patebit. Ita-ut mirari iterum subeat quemadmodum in mentem venerit Dissertatori edendi libelli, in quem armatos sentiat, quotquot ubique Ecclesiæ Catholicæ filii esse ac dici gloriantur.

CAPUT SEPTIMUM.

Assumptio Mariæ Virginis probatur rationibus.

NON sum nescius, in iis quæ ex mero Dei arbitrio ac voluntate pendent, nullam causam afferri posse, unde constet rem aliquam factam esse, aut hoc vel illo modo factam. Nulla enim exempli gratiâ Deo imposita necessitas, ut beatam Virginem corpore ut animâ in cælum eveheret. Potuit si voluit, nemo negat. An voluerit, dubitat post Usuardum cum paucis aliis Dissertator. Ut autem voluisse probetur, quæ nostra Catholicorumque omnium sententia, non aliæ rationes afferri possunt quàm quæ Convenientiæ vocantur, quibus

& in aliis pleriſque myſteriis uti ſolent Theologi, ubi præſertim quid voluerit Deus, nec Scriptura Sacra, nec traditio divina expreſsè docent.

Primùm igitur non negat Diſſertator conveniens fuiſſe ut hac ſingulari prærogativâ donaretur Beatiſſima Virgo. Immo nihil ſæpiùs inculcat Diſſertatione totâ, quàm decuiſſe id fieri; quin & impietatis, blaſphemiæ, ſtultitiæque accuſat, ſi quis proferre audeat Beatiſſimam Virginem quam Angelus ab ipſo Deo miſſus & ſalutavit, & priuſquàm Θεοτόκος eſſet, cæleſti gratiâ plenam eſſe aſſeveravit, poſtquam Dei Mater eſſe cœpit, peculiarem hanc gratiam non meruiſſe. *Pag. 14.*

Jam ergo adversùs ipſum ſic diſputo. Si decuit, ſi conveniens fuit, ut Beata Virgo corpore in cælum transferretur, ſi peculiarem hanc gratiam me-

ruit, ut tu ipſe Diſſertator prædicas; Quid reſtat dubii quo minùs id reverâ factum aſſeveretur? An enim audebis dicere Deum Beatæ Virgini denegaſſe quod meruit, quodque conveniens fuit ut ipſi concederetur? Sanè ſi ex animo iſta dicebas, non erat cur Diſſertationem ſcriberes, in quâ nihil aliud moliris, quàm ut aſſumptæ Virginis myſterium nullo momento, nullo fundamento niti oſtendas. Sed video quo conſilio iſta ſibi invicem contraria miſcueris, nempe ut eſſet unde quæreres effugium, ſi quis oppugnatæ Aſſumptionis argueret, cujus invidiam ſubire timuiſti. Sed nihil agis. Uſque ſequuti ſumus te, tuumque conſilium deteximus, Pergamus ergo, & rationibus ſeu Convenientiis ex Scriptûrâ Sacrâ erutis ſanctiſſimum Mariæ corpus cælo jampridem adſcriptum demonſtremus.

Cùm nemo Catholicus diffiteri poſſit quin plurima maximaque in Beatam Virginem collata ſint à Deo Beneficia; tum hoc præſertim fateatur neceſſe eſt, id ipſi non fuiſſe denegatum, quod aliis pleriſque, Scripturâ Sacrâ teſte, conceſſum novimus. Quis enim ſibi perſuadeat Matrem Domini, quæ ceteris dignitate ac meritis præſtat, iiſdem tamen ornamentis ac privilegiis caruiſſe? Conſtat autem ex eâdem Scripturâ multorum corpora ſanctorum, qui ante Chriſtum mortem oppetierant, ipſo reſurgente ſurrexiſſe à morte ac tumulo. Id diſertè habetur apud Mathæum his verbis. *Monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Quæ quidem verba hunc ſenſum habent, ſanctos qui cum Chriſto ſurrexerunt, non ampliùs

Cap. 27.

morti fuisse obnoxios, sed cum ipso ad immortalem vitam ac beatitudinem fuisse translatos. Enimverò, si surrexissent eâ lege ut iterum morerentur, non fuissent idonei testes Resurrectionis Christi, nec præcones ejus potestatis, nec denique pignus futuræ resurrectionis omnium; quorum tamen causâ surrexerant.

Inde factum ut non recentiores modò Scripturæ Sacræ interpretes, sed è sanctis Patribus plurimi, verba Matthæi eo quem diximus sensu exposuerint, putâ Ambrosius, Hilarius, Epiphanius, Beda, Anselmus. Anselmi verba digna sunt quæ hîc exscribantur. *Qui resurgente Domino*, inquit, *resurrexerunt, Bedâ testante, etiam cum illo ascendente simul ascendisse credendi sunt; nec ullâ ratione illorum temeritati fides accommodanda est, qui postea*

illos reversos in cinerem dicunt.

Cùm igitur, Scripturâ Sacrâ teste, Resurrectionis Privilegium concessum fuerit nonnullis qui ante Christum vixerunt, quos propterea Tertullianus Resurrectionis Christi appendices vocat, quisquam ne sibi persuadere possit, hoc Virgini Deiparæ fuisse à Deo denegatum? maximè verò cùm apud sanctos Patres constans sit opinio corpus ejus ab omni corruptione fuisse immune. Si enim corruptionis expers fuit, jam quæro, quò translatum fuerit? Aut ubi per tot sæcula deliteſcat? Certè si quis cogitet nullum locum esse in terris ubi tam pretiosus thesaurus dicatur conditus, non alibi quàm cælo creditum facilè sibi persuadebit. Si etiam apud se reputet tam sancti corporis nullas superstites esse in terris reliquias, quemadmodum tot

Confessorum

Confeſſorum ac Martyrum, in eam ſtatim ſententiam deſcendet, ideò nullus ejus reliquias ſupereſſe, quia animâ & corpore in cælum pridem eſt evecta.

Multæ ſunt aliæ rationes, quibus id probari poſſit. Quia verò nullibi copioſiùs ac diſertiùs habentur, quàm illo in ſermone de Aſſumptione qui exſtat inter opera S. Auguſtini tomo nono; Lectori rem gratam me facturum putavi, ſi partem ejus non exiguam huc transferrem, eóque libentiùs quòd Diſſertator ipſe argumenta quæ in eo leguntur optima vocat.

Si ergo voluit integram Matrem Virginitatis ſervare pudore, cur non velit incorruptam à putredinis ſervare fœtore? Dicat ergo qui cognovit ſenſum Domini, & qui conſiliarius ejus fuit; nunquid non pertinet ad benignitatem Domini, matris

» ſervare honorem, qui legem non
» ſolvere venerat, ſed adimplere?
» Lex enim ſicut honorem matris
» præcipit, ita inhonorationem
» damnat. Qui enim in vitâ præ
» ceteris illam gratiâ ſui concep-
» tus honoravit, pium eſt crede-
» re ſingulari ſalvatione eam in
» morte & ſpeciali gratiâ hono-
» raſſe. Potuit enim eam à putre-
» dine & pulvere alienam facere,
» qui ex eâ naſcens potuit Virgi-
» nem relinquere. Putredo nam-
» que & vermis humanæ eſt op-
» probrium conditionis, à quo op-
» probrio cùm Jeſus ſit alienus,
» natura Mariæ excipitur, quam
» Jeſus de eâ ſuſcepiſſe probatur.
» Caro enim Jeſu caro eſt Mariæ,
» & multò ſpecialiùs quàm Jo-
» ſeph Judæ, ceterorumque fra-
» trum ejus, quibus dicebat: *Fra-*
» *ter enim & caro noſtra eſt.*
» Quantum igitur contueor,
» quantum intelligo, quantum cre-

do, Mariæ anima claritate fruitur Christi, & glorioſis conſpectibus eum ſemper videre ſitiens, & ſemper conſpiciens, dum inæſtimabiliter paſcitur, excellentiori quâdam ſpecialique prærogativâ à Filio honoratur: poſſidens in Chriſto corpus ſuum quod genuit, clarificatum in dexterâ Patris; & ſi non ſuum per quod genuit, tamen ſuum quod genuit. Et quare non ſuum per quod genuit? Si non obviaverit necdum perſpecta auctoritas, verè credo, & per quod genuit: quia tanta ſanctificatio dignior cælo eſt quàm terrâ. Thronum Dei, thalamum Domini, domum atque tabernaculum Chriſti dignum eſt ibi eſſe, ubi ipſe eſt. Tam pretioſum enim theſaurum dignius eſt cælo ſervari quàm terrâ. Tantam integritatem meritò incorruptibilitas, non putredinis aliqua reſolutio

„ sequitur. Istud ergo sacratissi-
„ mum corpus, de quo Christus
„ carnem assumpsit, & divinam
„ naturam humanæ univit, non
„ amittens quod erat, sed assumens
„ quod non erat, ut Verbum ca-
„ ro, hoc est, Deus homo fieret,
„ escam vermibus traditum, in
„ communi sorde putredinis & fu-
„ turum de vermibus pulverem,
„ quia sentire non valeo, dicere
„ pertimesco. De quo si nihil aliud
„ sentirem quàm de proprio, ni-
„ hil dicerem, nisi quemadmodum
„ proprio, quod absque ullâ am-
„ biguitate solvendum est in mor-
„ tem, post mortem est futurum
„ putredo, post putredinem ver-
„ mis, post vermem, ut dignum
„ est, abjectissimus pulvis. Quod
„ de Mariâ credendum non vide-
„ tur, nec æstimabile; quia æsti-
„ mationem procul pellit incom-
„ parabilis gratiæ munus, &c.
„ Consideratis igitur his univer-

sis verâ ratione confitendum cen- «
seo, Mariam in Christo, & apud « Christum esse. In Christo, *quia* « *in ipso vivimus, movemur & su-* « *mus:* apud Christum gloriosè « ad æternitatis gaudia assumptam, « benignitate Christi honoratiùs « susceptam ceteris, quam hîc gra- « tia honoravit præ ceteris, nec « usque ad communem humilita- « tem esse adductam post mortem, « putredinis videlicet & vermis & « pulveris, quæ suum & omnium « genuit Salvatorem: in cujus si « potestate est, & sanctorum de « capite capillum non perire, est « & illam animâ & corpore inte- « gram posse servare. De cujus « potestate si nullus dubitet Eccle- « siasticorum, quin possit matrem « sine corruptione in perpetuum « servare, cur dubitandum est vo- « luisse, quod attinet ad tantæ be- « nignitatis gratiam? Si elegit di- « vina voluntas solâ gratiâ in- «

» ter crepitantes vehementium
» ignium flammas, non solùm pue-
» rorum corpora servare illæsa,
» verùm & ipsa vestimenta serva-
» re inusta, cur abnuat in matre
» propriâ quod elegit in veste alie-
» nâ? Jonam servare in ventre Ce-
» ti præter naturalem usum vo-
» luit incorruptum solâ misericor-
» diâ, Mariam incorruptam præ-
» ter naturam non servabit gratia?
» Servatus est Daniel ab intem-
» perantissimâ fame Leonum, non
» servanda est Maria tantis dota-
» ta meritis dignitatum? Hæc cun-
» cta, quæ diximus, quia naturam
» non servasse cognoscimus; in
» Mariæ integritate plus potuisse
» gratiam quàm naturam non du-
» bitamus. Divinitatis enim sunt
» opera quæ dicimus & ideò pos-
» sibilia, quia sunt ab omnipoten-
» tiâ. Christus autem *Dei virtus est*
» *& Dei sapientia*, cujus omnia,
» quæ Patris sunt, sua sunt, & vel-

le ; velle autem omnia , quæ ſunt « juſta , & digna. Sic per hoc di- « gnè videtur lætari Maria læti- « tiâ inenarrabili animâ & corpo- « re in proprio filio , per proprium « filium , nec ullam ſequi debere « corruptionis ærumnam , quam « nulla ſecuta eſt tantum filium « pariendo integritatis corruptio: « ut ſit ſemper incorrupta , quam « tanta perfudit gratia : ſit inte- « graliter vivens , quæ omnium in- « tegram , perfectamque genuit « vitam : ſit cum illo , quem in ſuo « geſſit utero ; ſit apud illum illa « quæ genuit , fovit , & aluit il- « lum , Maria Dei genitrix , Dei « miniſtratrix , & Dei ſecutrix , de « quâ , ut jam dixi , quia aliter ſen- « tire non audeo , aliter dicere non « præſumo. «

Hæc & alia multa quæ illo in ſermone habentur Diſſertatorem monent , ne deinceps aliter ſentire ac dicere præſumat.

CAPUT OCTAVUM.

Objectionum solutio.

ETsi quibus argumentis Catholicorum sententiam de Assumptione Virginis stabilivimus, iisdem abundè confutentur quæ in contrarium profert Dissertator; ne quid tamen desideretur, præcipuas ejus objectiones selegimus, quas hîc solveremus. Præcipuas dico. nam pleriſque aliis quæ sparsim absque ullo ordine Dissertatione totâ continentur, jam prout se dedit occasio satisfecimus. Priusquam verò id aggrediamur, est quod Dissertatorem admoneamus, frustra ipsum laborasse aut laboraturum post hac in impugnandâ Ecclesiæ traditione de assumpto corpore Virginis, nisi

hæc duo, quibus tanquam principiis seu fundamentis innitimur, everterit; primum, *Illud esse certum quod communi Ecclesiæ sensu fulcitur.* Alterum, *traditionem quam propugnamus, quovis sæculo in Ecclesiâ fuisse receptam.* Utrumque verò, aut alterum saltem quâ ratione convellat? cùm illud Scholæ omnes Theologorum absque contraversiâ ullâ recipiant; hoc autem ex antiquis Ecclesiæ monumentis ita evicerimus, ut nulla restare possit dubitatio, quin Catholici omnes cujusvis ætatis aut sæculi Mariam Virginem corpore ut animâ in cælum evectam fuisse crediderint. Quid ergo agat Dissertator? Si me audit, Usuardi patrocinium deseret, ac tandem Parisiensis, immo & Ecclesiæ universæ fidem hâc in re nobiscum amplectetur; inter eâ verò, præcipuis ejus difficultatibus res-

pondebimus, si quæ tamen præcipuæ dici possunt, ubi leves omnes & vix responsione dignæ censeantur.

Articulus Primus.

An de Mariæ Virginis Assumptione dubitatum.

Quibus satis otii fuit ad evolvendum à capite ad calcem Dissertatoris libellum, animadverterunt procul dubio nullum non ab eo motum lapidem ut Usuardi sententiam propugnaret. Si quis enim auctor pietatis nomen cùm de Assumptione ageret, vel semel usurpaverit; si quis alius, qui de eâ non dubitaret, non omnino tamen asseveranter locutus fuerit; si dormitionis vocabulum aliquò irripserit; si quid omissum vel correctum in Calendariis, Missalibus,

Breviariis; denique si quid, licèt à quæstione alieniſſimum, ſibi quoquo modo favere exiſtimaverit; id totum ambitiosè quæſivit undequaque, & in Diſſertationem magnâ ſollicitudine conjecit. Quo veró ſucceſſu? Hinc intellige, quòd poſt tot conatus, poſt tam diligentem inquiſitionem, in tam longâ non annorum modò, ſed & ſæculorum ſerie, quinque duntaxat auctores repererit, qui de Aſſumptione Virginis dubiè locuti fuerint. Hi ſunt *Ado Archiepiſcopus Viennenſis*, *Guibertus Abbas ſanctæ Mariæ de Novigento*, *Arnoldus Abbas Bonæ-Vallis*, *Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis*, *Ioannes Belethus inter Doctores ævi ſui non ignobilis.* *In Epiſt. Dedicat. & pag. 145.*

En igitur quibus copiis adversùs Aſſumptionem ſanctæ Mariæ numeroſo Patrum exercitu ſtipatam pugnet Diſſertator. Huc

redeunt magnifica illa promissa, quibus fidem dederat *se antiquitatem antiquissimam Ecclesiæ Parisiensis atque etiam Senonensis, imò Romanæ ac Græcæ* exploraturum propugnaturumque. Ac de antiquitate quidem promptum est statuere, cùm si Adonem excipias, qui vel æqualis fuit Usuardi, vel paucis annis junior, ceteri quatuor post undecimum sæculum vixerint. De dubitatione verò qualis fuerit quantaque, paulò pòst.

In Epist. Dedicat.

Sed demus modò ipsos revera dubitasse, utrum corpus Virginis cælo sit receptum. An quinque duntaxat Scriptores, qui dubitaverint, iique nec admodum antiqui nec maximæ auctoritatis conferri possunt cum innumeris Patribus gravissimisque Scriptoribus sive Græcis sive Latinis, quibus id certum exploratumque fuit? Sanè, si ex pau-

corum dubitatione incertum evaderet, quod alioquin pro certo & indubitato in Ecclesiâ creditur, quàm multa nutarent quæ nemo Catholicus in dubium vocat? An non enim exempli causâ dubitatum aliquando à nonnullis de veritate quorumdam Librorum Canonicorum? An non ab aliquibus dubitatum, num Beata Virgo immunis extiterit à peccato veniali? Quorum tamen paucorum dubitatio non obstat quò minùs utrumque perpetuò receptum in Ecclesiâ dici possit. Idem esto judicium de pluribus ejusmodi, quibus commemorandis non immoror. Juvat verò paucis investigare, si ab aliquibus dubitatum est de assumpto corpore Virginis, quo tempore id contigerit, & quâ ex occasione; unde & huic quæstioni maxima lux afferetur, & plurimis objectionibus Dissertatoris respondebitur.

Nemini non compertum est in Concilio Romano sub Gelasio Pontifice anno 494. Decretum editum, quo libri Sacri & authentici ab apocryphis secernerentur. Inter apocryphos autem relatus est vetustissimus libellus hoc titulo, *de transitu seu Assumptione S. Mariæ*, qui sub Melitonis Sardensis Episcopi nomine circumferebatur apud Catholicos. Cùm igitur quæcumque eo in libello habentur damnata nonnullis viderentur à Concilio, hinc suspicati sunt Assumptionem Deiparæ Virginis, quæ ibi plurimùm commendatur, pariter fuisse proscriptam. Sed quàm immeritò id suspicati sint, vel ex hoc satis intelligitur, quòd eodem in libello habetur, Mariam Virginem esse mortuam, sepultam, & in cælum evectam. Quæ cùm nemo dicere possit esse damnata, libellum quoque

proscriptum universim nemo jure dixerit.

Porrò inter eos qui hac occasione dubitare se de Assumptione Virginis apertè professi sunt, agmen ducit auctor sermonis de Assumptione Mariæ, qui inter opera sancti Hieronymi habetur, *Cogitis me, ô Paula & Eustochium; imò charitas Christi me compellit, &c.* cujus quidem sermonis auctorem non esse sanctum Hieronymum certiùs nunc est apud eruditos, quàm ut probatione ullâ indigeat; neque dissentit ipse Jolius, quamvis identidem multa afferat ad commendationem istius sermonis. Quisquis autem ille fuerit, meritò impostor dicitur à magno Baronio, quia ut faceret sibi nomen, & sub Hieronymi umbrâ dubitationem suam instillaret lectoribus, finxit se rogatum à Paulâ & Eustochio, ut contra consue-

» tudinem suam more eorum qui
» declamatoriè in Ecclesiâ loqui
» solent ad populum, sermonem
» faceret de Assumptione B. Virgi-
» nis, ut haberet sanctum Mona-
» sterij illius Collegium sermone
» Latino quibus se occuparet lau-
» dibus in die istius festivitatis, qui-
» busque divinis vacaret lectioni-
» bus. Quæ quidem, ut alia pluri-
ma, quamquam falsa & suppo-
sititia, eâ tamen arte scripta sunt,
ut successu temporis sermo ille
lectus fuerit tanquam genuinus
Hieronymi fœtus, & aliquos de-
ceperit incautos.

De tempore quidem quo pro-
dierit, ambigitur; nec certò res
definiri possit. Si tamen suis cui-
que conjecturis indulgere licet,
hoc primùm statuo, dubitari non
posse quin editus fuerit post an-
num 494. quo Gelasius Pontifex
librum de transitu B. Mariæ inter
apocryphos recensuit. Ait enim
auctor

auctor disertis verbis, se sermonem scripisse, ne fortè si veniſſet in manus Paulæ & Euſtochii apocryphum de tranſitu ejuſdem Virginis dubia pro certis reciperent, quod multi Latinorum pietatis amore, ſtudio legendi chariùs amplectuntur. Quâ in re quis non ejus audaciam miretur & hypocriſim, qui opus apocryphum ſcribit, ut alteri apocrypho fidem detrahat.

Conjicere etiam licet editum non fuiſſe ante ætatem Iſidori Hiſpalenſis, qui obiit anno Chriſti 636. nam Iſidorus lib. de ortu c. 68. in Mariâ, dicit, nuſpiam nec Virginis obitum legi, nec reperiri ſepulturam. At Pſeudo-hieronymus utrumque habet. Ita enim ſcribit. Ex his nihil aliud reperiri poteſt pro certo, niſi quòd hodiernâ die glorioſa migravit à corpore, monſtratur autem ſepulchrum ejus cernenti-

» bus nobis usque ad præsens in
» vallis Josaphat medio, quæ val-
» lis est inter montem Sion &
» montem Oliveti posita, quam
» & tu, ô Paula, oculis aspexisti,
» ubi in ejus honorem fabricata
» est Ecclesia, miro lapide tabula-
» ta, in quâ sepulta fuisse, ut scire
» potestis, ab omnibus ibidem præ-
» dicatur. Sed nunc vacuum esse
» Mausoleum cernentibus osten-
» ditur. Hæc idcircò dixerim, quia
» multi nostrorum dubitant, utrum
» assumpta fuerit simul cum cor-
» pore, an abierit relicto corpo-
» re. Ergo vel ista nondum scrip-
ta erant cùm viveret Isidorus, vel ad ejus notitiam non pervenerant; quod vix credas de homine tam variæ ac multiplicis lectionis.

Denique probabile fit, eumdem sermonem editum duntaxat fuisse post damnatam Monothelitarum hæresim. Auctor enim

acriter pugnat pro duabus operationibus. Constat igitur, inquit, unum eumdemque Christum secundùm utrasque formas operatum, humanitatis scilicet ac divinitatis, ac per hoc duas exercuisse operationes. Operata est enim utraque forma vel natura cum alterius communione quod proprium habuit. Verbo si quidem operante quod verbi est, & carne quod proprium habuit. Quæ verba mutuatus videtur ex actis Concilii sexti Oecumenici, quod anno 680. celebratum.

Quonam igitur demum tempore vulgatus libellus? Jam monui vix id certò definiri posse. Crediderim tamen tunc editum aut circum illa tempora cùm Arculphus Galliarum Episcopus ad loca sancta profectus est, ut narrat Beda lib. 5. Histor. Angl. cap. 16. Nam cùm revertens vi

tempestatis in Britanniam delatus, ad Adamannum Scotorum Abbatem divertisset, librum ei dictavit de locis sanctis, in quo dubitationem suam iisdem verbis exprimit quibus suppositicius Hieronymus. Ita-ut verosimile sit ex illâ Arculphi narratione occasionem sumpsisse Pseudohieronymum edendi sermonis; cui ut fidem conciliaret, sub Hieronymi nomine in vulgus emisit. Libri autem ab Adamanno scripti Epitomen fecit Beda, ut refert Gerardus Vossius lib. 2. de Historicis Latinis cap. 28. apud quem plura de Arculpho & Adamanno legi poterunt. Hæc verò contigerunt exeunte sæculo septimo. Quicquid sit tamen de tempore quo sermo ille prodiit in vulgus (de quo disceptare nolim, præsertim si quæ Hildephonsi inscribuntur nomine, genuina sunt ejus opera)

certum est ab illo fluxisse dubitationem, quæ apud nonnullos hæsit de assumpto corpore Virginis, quippe qui à sententiâ sancti Hieronymi, quem ejus auctorem existimabant, vix discedere possent.

Quin & tanti factus est sermo ille, ut alicubi in officium divinum irrepserit. Quod tamen non videtur factum nisi nono sæculo, quo mota est de illius auctore controversia. Nam cùm Monachus quidam Corbeiensis, cujus nomen ignoratur, acriter contenderet, non esse Hieronymi, ideòque nullo habendum in pretio; stetit ex adverso Hincmarus, magni ille inter Monachos nominis, S. Dionysii Monachus, & primæ inter Præsules auctoritatis; qui ut eumdem sermonem Hieronymo assereret scripsit Apologiam, de quâ hæc Flodoardus lib. 3. Remensis historiæ cap. 23.

» Item scripsit pro libello Hi-
» storiæ de ortu S. Mariæ, & ho-
» miliâ B. Hieronymi de Assump-
» tione ipsius Dei genitricis, quæ
» quidem Monachus Corbeiensis
» non esse recipienda contende-
» bat. Ad quæ respondet idem Do-
» minus Hincmarus, præfatam
» historiam nos habere ad lectio-
» nem, non ad proferendam au-
» ctoritatem. Homiliam verò eam-
» dem à S. Hieronymo asserit Ca-
» tholicè dictatam, sicut & stylus
» & cautela sensus & intellectus
» & alia certa indicia monstrant.
» Et certè personæ per quas de
» partibus Orientalibus tempore
» certo delata ad regiones nostras
» pervenit, fidem faciunt. Hanc
» apologiam miserat ad Odonem
» Belvacensem Episcopum.

Ex illâ autem Apologiâ latiùs cœpit malum serpere. Cùm enim plures persuasi essent ob testimonium Hincmari, sermonis il-

lius auctorem esse Hieronymum, tanti habitus est, ut passim lectus fuerit in Monasteriorum Capitulis & templis. Quem errorem mirum in modum auxere Ado Viennensis Archiepiscopus, & Usuardus Monachus S. Germani, qui Pseudohieronymi dubitationem de Assumptione Virginis, tanquam esset Ecclesiæ sententia, suis Martyrologiis inseruerunt. Ita enim ambo. Quò « autem occultatum sit corpus B. « Mariæ plus elegit sobrietas Ec- « clesiæ cum pietate nescire, quàm « aliquid frivolum & apocryphum « inde tenendo docere. «

Quærerem autem ab eis unde acceperint Ecclesiam id nescire, nisi ex Pseudohieronymi libello, in quo hæc leguntur.

Quomodo autem, vel quo tem- « pore, aut à quibus personis san- « ctissimum corpus ejus inde abla- « tum fuerit, vel ubi transpositum, «

» utrumve resurrexerit, nescitur. Unde autem id nesciri putat, nisi quia liber qui appellatur *transitus seu Assumptio S. Mariæ*, in quo docetur corpus Virginis cœlo receptum esse, apocryphus est. At (quod jam monui) docet idem libellus Mariam Virginem esse mortuam, esse sepultam, sepulchrum ejus in valle Josaphat monstrari & vacuum fuisse repertum. Quæ tamen omnia nemo hactenus in dubium vocat.

Quantum verò erret Dissertator dum piam Assumptionis corporalis, ut loquitur, nescientiam post Adonem & Usuardum Ecclesiæ tribuit, Ecclesia ipsa manifestè indicat; quæ sæculis pluribus ante Hincmarum & Usuardum docuit in orationibus Officii divini *Mariam mortis nexibus deprimi non potuisse*, sive *mortis vinculis teneri*, ut ait auctor

ctor tractatus de Assumptione B. Mariæ Virginis apud Augustinum.

Neque verò excusari possint Ado & Usuardus, etiamsi credidisse dicantur sermonis illius à quo decepti sunt auctorem fuisse B. Hieronymum. Nam si ob auctoritatem Ecclesiæ non dubitarunt de morte & sepulturâ Mariæ Virginis, licèt ea dubitatio patronos habuerit doctissimos Patres, Epiphanium videlicet & Isidorum; quantò minùs dubitare debuerunt de ejus Assumptione ob eamdem Ecclesiæ auctoritatem, cùm de sermonis illius auctoritate controversia esset inter eruditos, ut superiùs observatum? Quis autem amborum prior scripserit, difficile dictu est. Videtur tamen Ado Usuardum præcessisse, cùm anno 859. Viennensem sedem adeptus sit, & obierit anno 874.

Usuardus verò Carolo Calvo suum opus dicaverit, sed jam Imperatori; quod contigit anno 875.

Nil igitur mirum si sequentibus sæculis incauti Scriptores sermonem illum tanquam germanum Hieronymi opus admisere. Hinc enim Cluniacenses Monachi, quod à nobis observatum, sæculo decimo in consuetudinibus suis contra morem Ecclesiæ à Nocturnis excluserunt Evangelium, ut ejus loco sermonem illum legerent. Hinc sæculo 12. » Abailardus ait, se non ignora-» re quin Hieronymus cùm As-» sumptionis sermonem scriberet, » dubitaverit de resurrectione quæ » dicitur in matre Domini com-» pleta. Qui tamen auctoritate Hieronymi non est permotus, ut de Assumptione Virginis dubitaret; quâ in re prudentior fuit Adone & Usuardo. Hinc sæ-

culo 15. Antoninus Florentinus ita scribit. B. Hieronymus in dubio relinquit si B. Virgo in cælo fuit in animâ & corpore. Denique quotquot de Virginis Assumptione dubitaverunt, in eam dubitationem adducti sunt à Pseudohieronymi libello, cujus quàm infirma sit auctoritas nemo non videt.

His ita observatis, ad quinque Scriptores à Dissertatore laudatos, tanquam sententiæ suæ patronos, respondeo. Ac primùm quidem de Adone Viennensi Archiepiscopo, quis neget, quin vel Usuardo errandi causam præbuerit, vel ipsi Usuardus; ambo autem decepti auctoritate Hieronymi, à quo scriptum sermonem de Assumptione Virginis existimabant.

Guibertus Bellovacensis non audet quidem asserere Virginis corpus resuscitatum. Quia, in-

„ quit, probabilibus indiciis id af-
„ severari non potest. Addit hæc
„ verba. Latenter quidem id mi-
„ nimè sentire vetamur, quia ta-
„ men testimonia non adjacent, af-
ferere prohibemur. Idem tamen
paulò antè dixerat, Nefarium
„ esse credere quòd Mariæ cor-
„ pus irremuneratum inhonora-
„ tumque ad experientiam cor-
„ ruptionis dimissum sit. Jam à Gui-
berto quæro, quibus indiciis,
quibus argumentis probare pos-
sit corpus Mariæ non esse ad ex-
perientiam corruptionis, ut lo-
quitur, dimissum? Non aliis sa-
nè quàm quibus probatur cor-
pus ejus cælo esse receptum. Ni-
„ mirum, quia, ut ipse ait, Vas
„ illud omni creaturâ post filium
„ præclarius Dominum majesta-
„ tis universorum contulit, quod
„ nunquam ulli, ne Angelicæ qui-
„ dem naturæ, licuit. Quæ ratio
ex dignitate Matris Domini pe-

tita, vel utrique probando ex æquo servit, vel neutri. Valde autem meticulosum fuisse Guibertum credibile est, qui *latenter* solùm agnosci debere censebat *Corpus Virginis esse resuscitatum.* Quid metuebat si id palam asseruisset? Nunquid socios habuisset Bernardum, Abailardum, alios qui sæculo eodem nullo metu deterriti id firmissimè asseveraverunt? Uno verbo, si res dubia est, ne latenter quidem credenda est. Si verò certa, quam videlicet ratio evidens persuadet, cur non in publicum proferenda?

Adde Guiberto non satis curæ fuisse, ut scripta sua ad exacti limam judicii exigeret. Argumento sunt nævi plures, quibus ejus libri passim adsperſi sunt. Mitto quàm iniquus fuerit B. Godefrido Ambianensi Episcopo, cujus vitam, mores & inge-

nium ubique carpsit. In eo ipso loco suprà laudato circa sanctorum reliquias in duobus peccat contra Ecclesiæ sensum atque praxim.

Primò quidem cùm videret circa sanctorum corpora plura committi, quæ ratio prohiberet, satius fore existimavit, si corpora nunquam exhumata fuissent. Sed hæc omnia, inquit (loquens de abusibus circa reliquias sanctorum) à perversitate radicis emergunt, quæ non est alia quàm quòd eisdem corporibus sanctorum adimitur, quod communi sorte debuerat omnis commereri humana natura. Si enim certò certiùs de terrâ hominis origo consistit, & persoluto mortis debito in eamdem ex primæ damnationis legibus recidit, præsertim cui dictum est, Terra es & in terram ibis, Deus, meâ sententiâ, nec præsenti nec se-

cuturo cuipiam dixit, aurum vel « argentum es, in aurum & argen- « tum ibis. Ut quid porrò homo « à suâ naturâ, imò à Dei imperio « eruitur, ut quod conditionaliter « nulli competit, aureis vel argen- « teis conchulis inferatur. «

Deinde adjungit & alterum errorem. Damnat enim reliquiarum sanctarum partitionem, quæ tamen semper facta est totâ approbante Ecclesiâ. Dicat, inquit, quisquè quod sentit, securus planè ego inferam, non Deo, non sanctis ipsis unquam fuisse placitum, ut eorum cujuspiam reserari debuerit sepulchrum, aut dirimi per frusta corpusculum.

De Durando Mimatensi hoc solùm dico. Cùm scribat piè credendum B. Virginem totaliter assumptam, quis non videt certitudinem fidei duntaxat ab eo excludi, non autem quamcumque certitudinem: nam, quod

suprà observavimus, quæ piè creduntur certitudinem habent omni humanâ majorem, licèt non semper ad fidei certitudinem ascendant.

Idem de Joanne Beletho dicimus. Ita enim intelligenda sunt » hæc ejus verba. Beatam Mariam, » quoad animam ejus attinet, as- » sumptam fuisse certò novimus; » an verò corpus illius posteà » etiam assumptum fuerit, profe- » ctò incertum est, piè tamen cre- » dimus ipsam integrè fuisse as- » sumptam, sed priùs animâ, ac » deindè corpore. Incertum appellat Belethus, quod certitudinem fidei divinæ non habet.

Arnoldum Carnotensem quod attinet, negavit solummodò Scripturam Sacram definiisse, corpus Virginis ad cælum esse tran- » slatum, ut patet his verbis. Ma- » ria Angelis occurrentibus & de- » portantibus illam inclytam ani-

nam, assumpta est in cælum, „
utrum in corpore aut sine corpo- „
re, nullius Canonicæ Scripturæ „
definivit auctoritas. „

Hactenus de quinque Scriptoribus, quos Adversarius de Assumptione Virginis dubitasse contendit. Qualis fuerit illorum dubitatio, demonstravimus. Esto, non illi modò, sed alii quinque cum illis dubitaverint atque in iis Hildephonsus. An decem qui dubii fuerint comparari possunt cum innumeris aliis Scriptoribus, majori doctrinâ, sanctitate, auctoritate, qui non dubitarunt? Adde dubitationis illorum causam omnem in libellum Pseudo-hieronymi rejiciendam. Quod de Hildephonso manifestum, qui plerisque in locis sermonum quos de Assumptione Mariæ Virginis scripsit, laudat libellum illum tanquam genuinum opus sancti Hieronymi, maximè ve-

" rò sermone 5. his verbis. Et qui
" ad plenum vult cognoscere glo-
" riam solemnitatis hodiernæ, ser-
" monem quem supradictus Pater
" Hieronymus edidit ad sanctam
" Paulam, & ad Eustochium filiam
transmisit, legat. Atque hæc, si, ut jam dixi, sermones illi verè ab Hildephonso scripti sunt, quod non satis constat.

Quapropter, huc quæstio deducitur. Cùm jam constet B. Hieronymo suppositum fuisse sermonem illum, quo Virginis Assumptio dubia dicitur; Ecclesia autem de ejus Assumptione idem pronuntiet quod Scriptura Sacra de Resurrectione Christi, nempe mortis vinculis teneri eam aut deprimi non potuisse. Quæritur, inquam, utrum fides habenda sit Adoni & Usuardo asserentibus post Pseudohieronymum ab Ecclesiâ nesciri, quò occultatum fuerit corpus Mariæ

Virginis, an Ecclesiæ ipsi id se scire profitenti, in Collectâ toties à nobis laudatâ, *Veneranda nobis est, Domine, &c.* Certè nemo sanæ mentis qui non valere jubeat Pseudohieronymum, Adonem & Usuardum, ut Ecclesiam sequatur. Hîc enim usurpare licet Bernardi verba, qui verè sanctificatam fuisse in utero materno Mariam Virginem hinc colligit, quia Ecclesia quæ nunquam fallitur Nativitatis ejus festum instituit.

Non fallitur omnino sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, & omni anno cum exultatione universæ terræ votivâ celebritate suscipiens. *Ep.* 174.

Pari jure dicimus. Non fallitur Ecclesia, dum tot à sæculis profitetur Mariam Virginem non animâ solùm, sed & corpore in cœlum fuisse assumptam. Profi-

tetur autem in Officio divino, quod die Festo ejus Assumptionis ab ipsis Christianæ fidei primordiis instituit.

Quòd autem in Officio Ecclesiastico lectus fuerit aliquando Pseudohieronymi libellus, id à privatis incautè factum, qui Beato Hieronymo adscribendum putarent, cùm intereà tamen illibata moneret Ecclesiæ fides de Assumptione Virginis. Adde propositum duntaxat fuisse libellum ad lectionem, non autem ad proferendam auctoritatem (quod dicebat Hincmarus de apocrypho libello de ortu S. Mariæ, quod etiam dici potest de aliis apocryphis qui leguntur in Ecclesiâ.) Itaque si nunc reviviscceret Hincmarus, & alii qui Pseudohieronymi libello permoti, dubitarunt de Assumptione Virginis Deiparæ, quis dubitet quin errore detecto

mutarent ſententiam, dolerentque ſe tanti nominis umbrâ fuiſſe deluſos?

Articulus Secundus.

Quæ Eccleſiaſticarum Precum auctoritas.

Cum Aſſertionem noſtram firmaremus ſuprà, adduximus eas preces quas Feſto die Aſſumptionis adhibet nunc ſemperque adhibuit Eccleſia; quibus quidem precibus manifeſtè declarat, de aſſumpto corpore Virginis ſe dubitaſſe nunquam. Verùm quia eidem argumento diutiùs inſiſtere non licuit, ne probationum ſeries plus æquo interrumpenda eſſet; nec rem ſtabilire ſatis, nec rationibus ab Adverſario in contrarium adductis reſpondere potuimus. Utrumque hîc præſtandum.

Ac primùm quidem, quin maximi ponderis sit argumentum quod ex precibus Ecclesiæ ducitur, non negabit qui Augustini judicio & exemplo stare voluerit. Nam præterquam quòd iis ex precibus perpetuò pugnavit adversùs Pelagianos Gratiæ Dei hostes; aliâ etiam in causâ quantam in eis auctoritatem poneret apertè ostendit. Cùm enim secundùm duplicem sensum exposuisset hæc Christi ad Petrum verba: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ut alterum assereret, profert testimonium B. Ambrosii in Hymno recèns ab eo condito, qui in Ecclesiâ decantabatur. Hæc sunt Augustini verba.

Lib. 1. Retract. cap. 21.

„ In hoc libro (contra Epistolam Donati) dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in „ illo tanquam in Petrâ fundata „ sit Ecclesia; qui sensus etiam can-

tatur ore multorum in versibus " Beatissimi Ambrosii, ubi de Gal- " lo Gallinaceo ait. *Hoc, ipsa Pe-* " *tra Ecclesiæ, canente culpam di-* " *luit.* Sed scio me posteà sic " expositurum esse, quod à Domino di- " ctum est: Tu es Petrus, & super " hanc Petram ædificabo Eccle- " siam meam; ut super hunc intel- " ligeretur quem confessus est Pe- " trus dicens: Tu es Christus Fi- " lius Dei vivi; ac si Petrus ab hac " Petrâ appellatus personam Ec- " clesiæ figuraret, quæ super hanc " Petram ædificatur, & accepit cla- " ves regni cælorum. Non enim " dictum est illi: Tu es Petra, sed, " Tu es Petrus. Petra autem erat " Christus, quem confessus Simon, " sicut eum tota Ecclesia confite- " tur, dictus est Petrus. Harum " autem duarum sententiarum " quæ sit probabilior, eligat Le- " ctor. "

Quòd si Augustinus in hym-

no recèns ab Ambrosio condito, qui cantaretur ore multorum, satis inesse ponderis existimavit, ut inde sensum alterum assereret, juxta quem interpretatus fuerat hæc Christi verba: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* Quis præter Dissertatorem neget in antiquissimis Ecclesiæ precibus, nec multorum duntaxat, sed Catholicorum omnium ore cantari solitis, satis ponderis esse ut inde colligi possit quid de re aliquâ Ecclesia crediderit?

Sed præter Augustinum, qui multis aliis locis idem asserit, audiat Celestini Summi Pontificis verba, quibus maximam in Ecclesiæ precibus vim agnoscit, cùm ex illis quoque adversùs Pelagianos gratiæ necessitatem repudiantes depugnet.

Epist. ad Episc. „ Præter Beatissimæ & Apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones, quibus

quibus nos piissimi Patres pestiferæ novitatis elatione dejectâ & bonæ voluntatis exordia & incrementa probabilium studiorum & in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt ; obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus , quæ ab Apostolis tradita toto mundo atque in omni Catholicâ Ecclesiâ uniformiter celebrantur , ut legem credendi , lex statuat supplicandi. « *copos Gallicanum.*

Age modò , hæc ad institutum nostrum accommodemus. Obsecrationes sacerdotales vocantur à Celestino *Sacramenta.* Ait quoque *legem credendi statui per legem supplicandi.* Atqui sacerdotes inter orandum semper usurparunt collectam , *Veneranda nobis est , Domine , hujus diei festivitas , &c.* quæ B. Virginem corpore in cœlum evectam ipso fa-

tente Adversario manifestò docet; cur ergo obsecratio illa instar Sacramenti non sit? Cur ex *illâ supplicandi lege non statuatur lex aliqua credendi*; præsertim cùm sacerdotalis illa obsecratio sive collecta, ab ipso exordio Ecclesiæ ad nos usque non interrupta pervenerit. Sed jam inspiciendum quid contra preces Ecclesiæ objiciat.

Dabit autem veniam, si ante omnia eum moneamus non servatæ sinceritatis erga Baronium. Sic enim cum eo disputat, quasi Baronius velit quæcumque officio Ecclesiastico inserta sunt, undecumque inserta fuerint, nunquam supprimi aut emendari posse. Id autem supponere patet his verbis.

Pag. 124. *Si nihil igitur in Officiis divinis unquam peccatum est, nihilque corrigendum videtur; immò si certa per ea officia corrigi oporteat;*

veluti Baronius hîc opinatur, peccarunt certè qui ea olim emendare præsumpserunt.

Unde verò colligit Baronium ita opinari? Ex his verbis quæ ipse anteà laudaverat.

Iam quod Baronius adducit de auctoritate Ecclesiæ ex sacris Ecclesiæ precibus, quas eâ die recitare consuevit, & ex quibus licèt nullum eâ de re decretum ediderit, id affirmasse sæpius videatur versibus, responsionibus, antiphonis & lectionibus, &c. Pag. 121.

An hîc, quæso, Baronius ait nihil unquam peccatum esse in Officio Ecclesiastico, nec quicquam in eo corrigi oportere? Ne verbum quidem eâ de re habet. Quippe non ignorabat vir eruditissimus multa irrepsisse in Officia Ecclesiastica, sive insciti â sive incuriâ, quæ posteà corrigenda aut omninò supprimenda fuerunt. Cujusmodi exem-

plum habemus in Lectionibus ex libello Pseudohieronymi desumptis, quæ cùm diù in festo die assumptæ Virginis usurpatæ fuissent, ex illo tandem Officio sunt amotæ, ut melioribus daretur locus.

Quamvis autem quædam subinde corrigenda fuerint in Missalibus, Breviariis, Antiphonariis, aliisque Ecclesiasticis libris; non tamen hinc sequitur, quæcumque in illis continentur, universim nullam auctoritatem habere. Nam permulta sunt perpetuo ac constanti Ecclesiæ usu sic recepta, ut nulli unquam suppressioni aut emendationi obnoxia fuerint. Exemplo sit Collecta, *Veneranda nobis est, Domine, &c.* ex Sacramentario sancti Gregorii desumpta quæ in Officio Festi assumptæ Virginis perpetuò usurpata est, perpetuóque usurpabitur. Idem dici

debet de pluribus aliis sive Præfationibus sive Collectis, ex eodem Sacramentario depromptis, nec non & Lectionibus, quæ ex fontibus puris, hoc est, indubitatæ fidei auctoribus deductæ sunt.

Quid ergo obstet quo minùs ex ejusmodi Ecclesiæ precibus vetustissimis, ac probatissimis colligi possit, quid Ecclesia de hoc vel illo mysterio senserit? Quod unum voluisse Baronium manifestius est quàm ut probatione ullâ indigeat. Quapropter non satis sincerè agit Dissertator, cùm quærit, *Num peccarint & Concilia & Pontifices, qui Missalia, Breviaria, Antiphonaria atque alia id genus scripta Ecclesiastica corrigi jusserunt & procurarunt.* Agnoscimus, non peccarunt; immò laudem eo nomine meruerunt. Pag. 124.

Non peccavit Leo decimus

Pontifex Maximus ; nec Clemens septimus ; nec Ferrerius, nec Becichemus ; nec Albertus Cardinalis ; nec reverendus in Christo Pater Adolphus de Scauvenburg Archiepiscopus Colonienſis ; nec Joannes Ferus Concionator percelebris Moguntinus ; nec Lindanus Episcopus Ruremondenſis ; nec Innocentius tertius ; nec anteà Agobertus ; nec Espencæus ; nec Cardinalis Alliacenſis ; nec Ferdinandus Imperator ; nec Carolus Franciæ Rex ; nec Pius quintus ; nec Clemens octavus ; nec Vrbanus octavus ; illi, inquam, omnes, in quorum testimoniis adducendis partem non exiguam operis frustra consumpsit Usuardi patronus, non peccarunt, cùm vel optarunt, vel imperarunt emendationes fieri in Missalibus & Breviariis, tum resecando, si quæ restarent vana & apocry-

pha ; tum in ordinem redigendo, tum puriori latinitate donando. Immò, si qua adhuc supersint emendanda, ut esse possunt quæ emendanda sint, non inutilem operam Ecclesiæ navabunt, qui in ejusmodi emendationibus industriam suam collocaverint.

Quid quod & ipse Adversarius vim argumenti quod ex Officio divino ducitur manifestè probat, cùm eo utatur sæpissime ad dubiam reddendam Assumptionis fidem? Unde enim id aut frequentiùs aut efficaciùs adstruere contendit, quàm ex Calendariis, Martyrologiis, Missalibus, aliisque libris Ecclesiasticis, in quibus Quietis, Pausationis, aut Dormitionis vocabula usurpantur? Itaque patet non eum jure eâ in re succensere Baronio.

Quia verò nonnullas Historias

Pag. 130. hîc interseruit, *Pro bellè*, inquit, *curiosis*, non injucundum fore duximus, in iis expendendis aliquantisper immorari.

De Quignonio primùm, quem miris laudibus ad nauseam usque prosequitur, illud quærerem, cur Breviarii ab eo concinnati passim & præter ullam necessitatem mentionem ingerat? An ut Breviarium illud, suppressis ceteris, deinceps recitetur, aut etiam cum eis? Quid hoc ad quæstionem de assumptâ Virgine? Nam quòd Quignonius lectiones matutinarum Precum ex Pseudohieronymi libello desumpserit, malè ab eo factum, reprehensioneque dignum; saltem non est hominis qui quâ diligentiâ debuit, quæ Breviario suo includeret, examinasset.

Sed ne amplius nobis sit molesta toties repetita Quignoniani Breviarii commendatio, consulat

ſulat ipſe judicium Sacræ de eo Facultatis anni 1534. in quo rationes ac motiva proferuntur, quibus tollendum è manibus fidelium cenſet. Quod judicium cùm longius ſit quàm ut hîc totum exſcribi debeat, monemus adeat Scribam Sacræ Facultatis, à quo Theologorum eâ de re cenſuram perlegendam accipiet. Hîc pauca delibamus.

DE CARDINALIS Quignonii Breviario.

CUM novum quoddam Breviarium Româ delatum « fuiſſet ad Univerſitatem Pari- « ſienſem, in quo Antiphonæ & « Reſponſoria, Capitula, Homi- « liæ, & pleraque alia ſalutaria « omittebantur, quæ ab omni an- « tiquitate recepta erant: «

Eadem Facultas confecit ra- « tiones & motiva, quibus tolli è «

„ manibus fidelium debuit, quæ
„ rationes sequuntur.
„ Rationes & motiva propter
„ quæ videtur Universitati Pari-
„ siensi non recipiendum Brevia-
„ rium nuper editum & promulga-
„ tum.
„ Imprimis advertendum est
„ quod dictum Breviarium discre-
„ pat & dissonum est ab aliis omni-
„ bus Breviariis quarumcumque
„ Diœceseum, etiam Romanæ Ec-
„ clesiæ, cùm alia omnia Breviaria
„ pleraque sancta & salutaria ad
„ pietatem & devotionem fideles
„ adducentia contineant, quæ istud
„ Breviarium non habet; cujus ge-
„ neris sunt Horæ Beatæ Mariæ,
„ Antiphonæ, Responsoria, Ca-
„ pitula, Homiliæ, sive exposito-
„ nes Catholicorum Doctorum si-
„ ne Evangeliis & aliis Scripturis,
„ ordo & numerus Psalmorum, &
„ modus legendi illos in Ecclesiâ,
„ nec non & ordo legendi Sacras

Scripturas in Matutinis juxta va- «
rietatem temporum ab Eccleſiâ «
hactenus obſervatus; cum ante- «
hac uſque adeò ſalutaria Eccle- «
ſiæ inſtituta in Eccleſiaſtico Offi- «
cio à primordiis ferme Eccleſiæ «
uſque ad hæc tempora ſervata «
fuerint, mirum quonam pacto is «
qui hoc Breviarium condidit hæc «
omnia rejiciat & rejicienda de- «
cernat, &c. Ac poſt multa, hæc
addit Sacra Facultas.

Ex his itaque patet quantum «
diſtet à veterum Patrum inſtituto «
in hunc uſque diem & piè & ſan- «
ctè ſervato hoc novum Brevia- «
rium; tum quia in eo nova & «
inaudita fit Pſalmorum diſtribu- «
tio, nequaquam feriis aut Feſtis «
Chriſti & Sanctorum accommo- «
data; tum in eo relinquitur ordo «
conſuetus legendi diverſos libros «
Sacræ Scripturæ pro temporum «
varietate. Tum in eo dimittun- «
tur Homiliæ & expoſitiones Ca- «

„ tholicorum Doctorum in Evan-
„ gelia ad dies pertinentia ; tum
„ denique impertinentes diebus so-
„ lemnibus & aliis leguntur scrip-
„ turæ & historiæ diebus conve-
„ nientes deseruntur.

Non igitur sola brevitas istius Breviarii reprehensioni causam dedit, nec ob eam duntaxat à Pio quinto revocatum & antiquatum fuit. Quicquid sit tamen cùm hæc ad quæstionem quâ de agimus minimè pertineant, expendant alii, atque etiam judicent num prudenter Dissertator Officii divini quod passim carperet ac vellicaret tam frequenter mentionem fecerit.

Alteram verò multò jucundiorem profert Historiolam de Petro Maffæo his verbis. *Ac certe ab istâ quorumdam Scriptorum Eccl. sisticorum barbarie potiùs, quàm à contemptu simplicitatis laudabilis Sacræ Scripturæ quæ nunquam sine*

P. 17. 128. & 1. 9.

aliquâ majestate prodit, nec sine occultâ quâdam virtute legentium animos occupat, profecta est illa cautela Io. Petri Maffei viri suâ ætate inter Societatis Iesu Patres eloquentissimi, quâ Breviarium suum quotidie græcè recitare dicebatur, ne fortè quid ex tam frequenti repetitione contraheret, quod nitorem sui sermonis ac styli vitiare posset. Si tamen id verum est quod vulgò ipsi in eâ re tribuitur.

Si ab ipso quæram quo ex Historico tam lepidam narrationem acceperit, vix aliquem idoneum fideque dignum proferre poterit. Nec sanè aliunde profectam existimo, quàm ex dicto non inficeto quod circunfertur. Sed an si quid ejusmodi per jocum jactatur in sermone familiari, ad rem gravem & feriam transferre oportet? Nam agamus seriò. Non ergo Maffæus vir Religiosus sanctoque institu-

to adstrictus, in recitandis Horis diurnis muneri suo, ut par est, faciebat satis, cùm lectiones matutinarum precum non recitaret, nec Versus, nec Antiphonas, nec Orationes consuetas, quæ Græcè non exstant. Dispensatumne cum eo fuerat à Summo Pontifice, ut partem duntaxat Breviarii recitaret? Certè, si qua cum illo dispensatio facta, imprimis admonendi erant Lectores, ne quid offendiculi ex eâ omissione Ecclesiastici pensi caperent.

Si respondeat, Maffæum quotidianas Breviarii preces Græcè convertisse, quas eâ linguâ recitaret. Næ illi abundè otii fuit, ut Græcè potiùs quàm Latinè verteret. Si enim metuebat tantùm ne quid sibi sordium affricaretur ex recitatione Latini, quale nunc legitur, latinitate puriori donare potuit, atque ita & muneri suo & sermonis elegantiæ consulere.

Prætereà, cùm prudenter animadverterit Dissertator, *Laudabilem Scripturæ Sacræ simplicitatem, quæ numquam sine aliqua majestate prodit, nec sine occultà quadam virtute legentium animos occupat, stylum Maffæi, cujus nitor singularis, fœdare non potuisse*, an plus periculi metuendum erat ex Lectionibus, quæ pari, si non majori, ut plurimùm Latini sermonis munditie fulgeant? Sanè, undecumque fabulam illam inspicio, ne micam quidem salis habere videtur in argumento de quo agimus, ut hoc solùm Dissertatori reponendum succurrat, *tanti non erat esse te disertum.*

Quin & audivi qui occasione istius de Maffæo narratiunculæ festivè dicerent, id consilii sedulò dandum Dissertatori, ut pariter Breviarium Græcè recitet, tum servandi nitoris styli,

si quem habet, tum ne magis magisque fœdetur, si non habet. Quod postremum an præcipuè ipsi cavendum sit illi judicent, qui Dissertationis stylum ac verba paulisper attenderint.

Est & tertia historiola, quam refert his verbis: *Vrbanus VIII.* Pag. 139. *consilium cepit, viso quodam Libro de Reformatione Horarum Canonicarum noviter excuso, Breviarium Romanum, ut quibusdam innotuit, multò accuratiùs quàm antea repurgare.* Cui non liceat similes narrationes cudere, si hoc sufficiat dicere, *ut quibusdam innotuit?* Istud verò satis mirari non possum, cur Libri sui de Reformatione Horarum Canonicarum, quod tam infeliciter ei cesserit, mentionem ullam faciat.

Articulus Tertius.

De Rosvueydi Martyrologio.

Magni facit Dissertator editum à Rosvueydo Martyrologium, Palladiique instar habet, quo stante, quot sunt, quot fuerunt, quot futuri sunt Usuardi hostes, se ad internecionem debellaturum sperat. Quippe confidenter pronuntiat, esse vetus Romanum, ab Adone laudatum, à Baronio summis votis expetitum, quod mirâ quadam felicitate à Rosvueydo post tot sæcula repertum tandem fuit. Quapropter cùm in eo legantur hæc verba, *Dormitio S. Mariæ* quæ ab Usuardo in Martyrologium suum translata non dubitat, securus victoriæ, quicquid sibi opponi possit despectui habet ac derisui. Sic enim ille:

In Epist. Dedic. *Sed nec Baronium ipsum, si jam reviviſceret, ab iis diſſenſurum reor; Quandoquidem, ut pluribus notum eſt, cum Martyrologio illi Romano quod commentabatur, quodque recentius eſſe non negabat, Martyrologium aliud vetus Romanum opponeretur, in quo* Dormitio B. Mariæ *eſſe ferebatur, candidè illicò reſponderit, Martyrologium iſtud novum facilè ſe correcturum eſſe, ac nomenclaturam veteris illius Martyrologii, ſi quando ſibi exhiberetur, libenter adſcripturum, quod & ipſe* illuſtre vetuſtatis monumentum *appellabat, conquerens quod Moſander cum Adonis Martyrologio illud non edidiſſet. Nunc autem vetus iſtud Martyrologium Romanum ab ipſo Baronio deſideratum ſtudio Heriberti Roſvueydi Societatis Ieſu Presbyteri publicatum ac Paulo V. Pontifici maximo inſcriptum in manibus habemus.*

Equidem, ſi quæ hîc profert

Usuardi patronus, vera esse ipsemet persuasus esset, æquo animo ferrem. Quis enim, qui prior deceptus sit, alios in errorem inducere non possit? Verùm cum optimè noverit Martyrologium Rosvueydi, nec esse vetus Romanum, nec ullius ferè pretii, eo tamen nomine venditari, ejusque anctoritatem nobis objici, illud est de quo graviter cum illo expostulandum videatur.

Sanè, non ignorat eruditorum, qui hoc sæculo vivunt, de eodem Martyrologio judicia, cùm legerit lucubrationes ab eis editas adversùs Rosvueydi conjecturas. Dissimulare saltem non potest quin evolverit Dissertationem locupletissimam, quę habetur ad calcem Ecclesiasticę Historiæ Eusebii (quandoquidem eam ipse laudat,) in quâ Henricus Valesius plurimis ar-

gumentis probat, Martyrologium quod Ado Martyrologio suo præfixit, quodque Rosvueydus pro vetere Romano edidit, nihil minùs quàm vetus Romanum esse. Quid ergo? Totum ferè descriptum existimat ex Ecclesiasticâ Historiâ Ruffini Presbyteri Aquileiensis, cum ipsis etiam mendis quæ in Ruffino habentur. Quod ut probet, plurima menda refert, quæ ex Ruffino in Martyrologium Rosvueydi translata fuisse apparet. Id ubi præstitit, in hunc modum
» concludit. Satis, ut opinor, jam
» liquet, Martyrologium illud
» quod Ado Viennensis suo præ-
» fixit nullo modo dici posse Ro-
» manum, cùm nec Ado ipse il-
» lud Romanum appellet, ac præ-
» terea gravissimis erroribus sca-
» teat. Quis enim credat, homi-
» nem hæreticum & Arianæ fa-
» ctionis antesignanum in vetere

Romano Martyrologio cum « Confessoribus ac Martyribus « consecratum fuisse? «

Dissimulare etiam non potest quin legerit, quæ nuperrimè de eodem argumento scripsit Lucas Florentinius nobilis Lucensis in opere à nobis suprà laudato. Is autem Admonitionem quartam, quæ tota est adversùs Rosvueydi Martyrologium, sic claudit: Patet igitur « Martyrologium vetus Rosvueydi esse illud non posse, quod « purum nominibus tantum veterum Martyrum signatum expetivit Baronius, & æquè minùs « Aquileiense seu Romanum, à « quo adjutum se esse Ado profitebatur, ut supplerentur dies « absque nominibus Martyrum. « Quandoquidem nec nuda ferè « semper Martyrum nomina con « tineat, ac aliquot dies à Mar « tyribus vacuos, alios verò tan- «

» tùm Sanctorum recentiorum
» actis, vel translationibus signa-
» tos exhibeat, quod Bollandus
» ipse, pius ejusdem cum Ros-
» vueydo Societatis alumnus, in-
» genuè profitebatur in gener.
» præfat. § v. Valesius etiam nu-
» per in Annotationibus ad lib. 7.
» Eusebii cap. 32. Rosvueydi Mar-
» tyrologium nec vetus esse nec
» Romanum affirmat, maximâ-
» que parte ex Rufini Ecclesiasti-
» câ historiâ descriptum se obser-
» vasse dicit, quod translati in il-
» lud errores sint qui apud Rufi-
» num leguntur. Atqui si erudi-
» torum omnium calculo id esse
» vetustius Martyrologium exisți-
» matur, quod ad puriorem tan-
» tùm Martyrum nomenclaturam
» accedit, & contractiora & ve-
» tustiora continet additamenta,
» nostrum quod damus supra om-
» nia, quæ huc usque edita sint
» ex sola ipsius nomenclaturæ in-

ſpectione, additionum ætate & « loquendi ſtylo, vetuſtius eſſe « non dubitamus, tantum verò « illud à Roſvueydo editum ante- « cedere, quantum omnia in ve- « tuſtatis characteribus antecedit, « & quantum in ſimpliciſſimâ « Martyrum meſſe, largo proven- « tu ſupra illud redundat. «

An non etiam legit quæ apud Joannem Fontonem habentur in Prænotatis ad Calendarium Romanum? Hæc nempe.

§. VIII.

Quid cenſendum de Marty- « rologio Romano vetere quod « edidit Roſvueydus. «

Martyrologium illud non eſt « niſi Epitome Martyrologii Ado- « nis, ut facilè agnoſcet qui con- « ferret ipſum. Habet eadem erra- « ta, habet eadem ſæpe verba, « nonnulla fuere addita. Denique «

» nullo modo Romanum est nec
» vetus. Et quòd non sit vetus, de-
» monstratur ex eo quod solemni-
» tatem omnium sanctorum inf-
» cribit, quam certum est non an-
» tecedere tempora Gregorii III.
» qui sedit anno 731. aut Caroli
» Magni, qui decessit anno 813. Ro-
» manum non est. Nam cùm de S.
» Felice loquitur 14. Januarii seu
» 19. Kal. Feb. sic scribit. Nolæ
» Felicis Presbyteri in Pincis se-
» pulti. Et quis nescit Pincis esse
» locum qui Romæ est, non verò
» Nolæ, ut demonstravi ad illum
» diem? Hoc autem erratum non
» cadit in Romanum scriptorem,
» sed venit ex Adone. Nemo di-
» cat me hîc conjecturis indulgere,
» res est certa. Alioqui, meâ non
» refert Martyrologium illud esse,
» vel non esse Romanum, sed tene-
» mur quæ vera sunt proferre.

Idem de Martyrologio Rosvueydi judicium tulerunt Bollandus

landus & Holstenius, monumentorum antiquitatis indagatores solertissimi, nec aliquem è doctis esse puto qui aliter sentiat. Quapropter cum ista non ignoret Dissertator, nec, levissimo saltem verbo, testatus fuerit se rationibus Valesii & aliorum ostrepere velle, num satis causæ habemus ut arbitremur, non aliam ipsi mentem esse de Rosvueydi Martyrologio, quantumcumque illud pro Romano veteri venditet?

Etsi verò concederemus aliquam in Rosvueydi Martyrologio auctoritatem, non propterea præsidii quidquam ex eo adversùs sententiam nostram haberet. Nam, quod jam sæpius observavimus, voces istæ *Dormitio*, *Requies*, *Depositio*, *Pausatio S. Mariæ*, & aliæ ejusmodi, nihil aliud significant quàm Mariam Virginem mortem obiisse,

ut ceteri homines solent ; Assumptionem autem ejus & è tumulo resurrectionem non excludunt.

Articulus Quartus.

Baronius defenditur.

Quæ causæ Dissertatorem exacerbaverint adversùs Eminentissimum Conditorem Annalium, hactenus ignoro ; sed maximas fuisse suspicor, cùm in eum sæpiùs invehatur ; neque id solùm cùm illius refellendi se dat occasio ; sed etiam extra causam Usuardi, quam propugnandam suscepit. Tu ipse, benigne Lector, judica quàm indignis modis virum tantum habeat.

Primò, quasi unus è multis esset Baronius, ejus auctoritatem sibi hic obtrudi indignatur.

Pag. 15 *Quod autem* inquit *de Baronii au-*

Eloritate nobis obtruditur. Deinde præmissis aliquot laudibus, addit eum non solùm quandoque *dormitare*, sed etiam *sæpius labi.* Quod quidem tam decretorium judicium in illo homine ferri possit, qui, si non tot volumina ediderit, quot Baronius; saltem ejus opera universa diligenter perlustrarit, ut oscitantias ejus omnes, si quæ sunt, aut lapsus, diligenter annotaret. Viderit Dissertator an id præstiterit.

Cùm autem ægrè ferret (ut suprà admonuimus) Usuardum & Adonem *inconstantiæ* accusatos à Baronio, gravissimè ob eam causam ipsi succensèt his verbis. *In Annalibus autem in illos acriter* Pag. 17 *invehitur, temeritatem eorum ipsis exprobrans, & alia plura, quibus viros tam venerabiles tamque de Ecclesiâ benemeritos perstringere nulli Christiano, nedum Baronio fas esse ausim dicere.* Si pluribus

aliis licuit menda non pauca quæ in Martyrologiis Usuardi & Adonis reperiuntur annotare, cur id Baronio non liceat? An poterat mitiùs tractare viros, qui antiquam Ecclesiæ fidem labefactarent?

Addit quasi excusans hæc verba. *Vnde facilè adducor ut credam id quod plures asseverant, Baronium nempe, virum prudentem, & veterum auctorum satis æquum æstimatorem, in Vsuardum & Adonem non suâ sponte stylum acerbiorem hîc exeruisse; sed ad id adactum fuisse à quibusdam, qui sententiis neotericis nimiùm addicti, inconsultis antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, conniventiæ in eâ re ipsum accusarant, quibus cùm displicere noluisset, asperiorem se posteà præbere studuerit, ut eorum omninò sententiæ se subscripsisse demonstraret.*

Quinam sint illi quos senten-

tiis neotericis nimiùm addictos esse vult, nescio. Illud scio, excusationem quam in speciem adhibet, atrociſſimam revera Baronii accusationem esse. Quid enim viro gravi indignius objici possit, quàm si ex aliorum nutu & arbitrio pendere dicatur in iis quæ ad religionem pertinent, desertâ vel neglectâ veritate, cui nihil præscribere debeat, non spatium temporum, non privilegia personarum?

Quid quod Baronium virum sanæ mentis, si quis alius, non *sani tamen judicii* accusat, videlicet quod *adducat contra Vsuardum Ordinem Romanum, Sacramentarium S. Gregorii, alioſque antiquos Rituales ac Miſſales libros, nec non Eccleſiaſtici Officii Verſus, Reſponſoria, Antiphonas ac Lectiones?* Quid autem in eo peccavit Baronius? *Quia*, inquit, *quo tempore Vſuar-*

dus Martyrologium suum conscripsit, nondum Assumptionis Festum ubique in Ecclesiâ Occidentali, ac præsertim in Galliâ, cujus potissimùm causâ illud concinnarat, celebraretur.

Quærerem ego potiori jure, quo judicio Baronium hîc reprehendat. Cùm enim Usuardus scripserit Ecclesiam nescire an corpus Deiparæ Virginis cælo sit receptum: Numquid optimè confutatur à Baronio, adductis Ecclesiæ vetustissimis Actis & monumentis, quibus constat nullo unquam tempore dubiam fuisse Ecclesiam de ejusmodi Assumptione corporis? *At nondum iustitutum erat Festum Assumptionis ubique in Ecclesiâ Occidentali, ac præsertim in Galliâ, tempore Vsuardi.* Primùm, id suprà non esse verum manifestè ostendimus. Deinde, non fuerit ubique institutum Festum tempore

Usuardi, an ignorare potuit quæ in Ordine Romano, Sacramentario S. Gregorii, aliisque Ritualibus libris habentur, præsertim cùm ipse Martyrologium scriberet? Si ignoravit, cur de re quam perspectam non haberet pronuntiare ausus est, cùm dixit Ecclesiam nescire, quò occultatum sit corpus beatæ Virginis? Certè quid hîc respondere possit Usuardi defensor non video.

Pergit tamen, & eò usque adversùs Baronium abripitur, ut Apologiam adornet illius Scriptoris, qui Hieronymi nomen falsò sibi adscivit in Epistolâ ad Paulam & Eustochium, nec ferre possit *Impostorem* à Baronio vocari. Quin & nominis istius invidiam in eos regerit, qui stant contra Usuardum, hoc est in sanctos Patres Græcos & Latinos; in Scriptores cujuscum-

que sæculi graviſſimos ; nec-non in Theologos è ſcholâ omnes , qui Mariam Virginem corpore in cælum aſſumptam eſſe pro comperto habent. Hos enim omnes juſtiùs Impoſtores appellandos aſſeverat, quàm Uſuardum. Quia , inquit, Uſuardus Eccleſiæ ſenſum ſequitur , quæ tantùm piè credi poſtulat, quòd Mariæ corpus cælo ſit receptum ; id autem factum eſſe non aſſeverat.

Jam ſæpiùs admonuimus Diſſertatorem abuti iſto *piæ credulitatis* vocabulo ; quod etſi ſanum habere ſenſum poſſit ; non tamen ut ab ipſo uſurpatur , & ab Uſuardo. Nam cùm ipſe rationes omnes & momenta rejiciat, quibus probari poteſt Mariam Virginem corpore in cælum evectam fuiſſe , quis locus ſupereſt *piæ* credulitati ? Illud-ne poteſt *piè* credi , quod nullâ ratione

tione nullo momento nititur? Cùm autem dicat Usuardus *Ecclesiam cum pietate nescire ubi occultatum sit corpus Virginis*, ne quidem *piam* istam credulitatem admittit. An enim potest Ecclesia exigere ut id *piè* factum credamus, quod ipsa nescit an factum sit? *Piè* nescire, non est *piè* credere.

Quid autem affert, ut Pseudo-hieronymum malè à Baronio *Impostorem* vocari asserat: Minutium Felicem, Vincentium Lirinensem & alios commemorat, qui modestiæ causâ sub alienis nominibus diù latitarunt. Sed quàm diversa inter eos causa latendi. Illi enim non abusi sunt sanctorum Patrum nominibus, ut absurda, ut falsa impune scriberent; sed quæ proprio nomine proferre potuissent, maluerunt sub alieno, modestiæ, ut dixi, servandæ causâ. Contrà

Pseudo-hieronymus. Cùm enim metueret, ne, quæ absurda & falsa scribebat deprehenderentur si suo nomine ederet, ementitus est nomen & auctoritatem Hieronymi, quem pluribus annis postquam functus est inducit colloquentem cum Paulâ & Eustochio etiam vita functis; quibus ut falsa narrat, ita viciſſim visiones falsas sibi ab eis narratas scribit. Numquid igitur meritò Impostor à Baronio vocatur; cùm etiam Adversarius ipse agnoscat Hieronymi nomen falsò ab eo usurpari?

Sed levia ista & aliquatenus ferenda præ accusatione atrociſſimâ quam in Baronium intentat, dum eum *malis artibus* ac *technis* uti ait, ut *Ecclesiam Romanam supra ceteras in omnibus attollat.* Hac occasione

Scripsit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum Ka-

lendis Maii, Iacobum, qui frater Domini, Iustus, Minorque est appellatus, à sancto Petro ordinatum fuisse Episcopum Ierosolymorum, Quemadmodum, inquit, ex Clemente Alexandrino refert Euseb. Hist. l. 2. cap. 26. laudatque etiam ejusdem sententiæ Joannem Chrysostomum in Joann. Homil. 84. & alios.

Quid hîc peccavit Baronius? Numquid hæc sunt verba Eusebii lib. 2. Histor. non quidem cap. 26. sed. 1. Hunc, inquam, « Jacobum, qui ob eximiam virtutem Justus ab antiquis cognominatus est, Hierosolymitanæ « Ecclesiæ Episcopatum primum « accepisse perhibent. Clemens « certè in sexto Institutionum libro ita tradit. Ait enim post « Servatoris ascensum, Petrum, « Jacobum & Joannem, quamvis « Dominus ipsos cæteris prætu-«

„ liſſet, non idcircò de primo ho-
„ noris gradu inter ſe contendiſſe,
„ ſed Jacobum cognomine Ju-
„ ſtum Hieroſolymorum Epiſco-
„ pum elegiſſe.

Ait quidem Euſebius libri
„ ejuſdem cap. 23. Jacobo tradi-
„ tam fuiſſe ab Apoſtolis Epiſco-
„ palem Jeroſolymorum ſedem.
Sed negat-ne Jacobum à Petro ordinatum? Immo ſupra Petrum expreſsè nominaverat Euſebius, à quo Jacobus electus eſſet.

De ſancto Chryſoſtomo, quem laudat Baronius, res certa. Nam
„ Homil. 87. in Joannem hæc ha-
„ bet. Quòd ſi quis percontaretur,
„ quomodo igitur Jacobus ſedem
„ Jeroſolymis acceperit, reſpon-
„ derem hunc totius orbis magi-
ſtrum præpoſuiſſe. (id eſt, Petrum de, quo loquebatur.)

Scripſit quoque Baronius in hæc verba Martyrologii Romani; *Septim. Kalend. Maii Romæ*

Litaniæ majores ad sanctum Petrum, Sanctum Mamertum Episcopum non tam instituisse, quàm restituisse & in meliorem formam reduxisse sacras Rogationes. Quid hîc etiam peccavit Baronius? Negabit-ne Dissertator Litanias sive Processiones solemnes ante Ascensionem Domini institutas fuisse ante tempora Mamerti Viennensis Episcopi? (sedebat anno 452.) At si neget, refelletur, tum à Sidonio Apollinari Epistolâ ad Aprum, quâ disertis verbis testatur Litanias priùs fuisse, sed vagas, « tepentes & infrequentes; tum « ab Augustino Sermone 173. de Tempore: tum ab aliis quos refert Baronius. Quòd si in duobus istis exemplis nullum peccatum Baronii, nec adductis ab eo testimoniis respondet Dissertator; cui non doleat hanc ab eo captam occasionem carpen-

di vituperandique doctissimi Cardinalis? Sic enim adversùs eum malevolentissimè pronuntiat.

Hæc obiter ex pluribus annotare sat est, quæ Baronius ad libitum expungit, addit, immutat, ut Ecclesiam Romanam supra cæteras in
Pag. 55. *omnibus rebus attollat; quasi verò Ecclesia Romana minutis istis artibus, ne dicam, technis, egeat ut Mater aliarum Ecclesiarum agnoscatur, nihilque aliud sit, quod ipsi nomen istud conciliet, ac constanter asserat; quod tamen aliunde multis de causis validioribus libenter ei impartimur, & debitum esse profitemur.*

Quàm lætis ista auribus & animis excipiunt Heterodoxi, quorum errores æternum proscripsit atque confodit maximus ubique Baronius. Sed quantum paucis illis verbis nocumentum affert tum famæ Baronii, tum

cauſæ quam tuetur. Si enim Baronius ad libitum expungit, addit, immutat quidlibet, ut Eccleſiam Romanam ſupra ceteras in omnibus attollat; ſi minutis artibus & technis eum in finem utitur; operam miſerè perdidit immenſis voluminibus, in quibus hoc præſertim agit, ut argumenta omnia conquirat quibus Eccleſia Romana aliarum mater agnoſcatur.

Sed ſi Baronius laudem hanc Eccleſiæ Romanæ debitam validis rationibus aſſerere non potuit, doceat nos Jolius validiores illas cauſas ob quas ſe libenter ei gloriam iſtam impartiri profitetur. An illæ cauſæ *validiores* omiſſæ ſunt à Baronio, qui tamen nullas omiſiſſe creditur? Hoc tantùm indulgentiſſimè dico; non ſatis expendit Baronii hîc adverſarius quemadmodum de tanto viro loqui de-

ceret, nec satis sibi ipsi cavit, quem fortè non deerunt qui suspicentur auctoritati Romanæ Ecclesiæ minùs æquum, quòd rejectis in illâ vindicandâ Baronianis argumentis, ipse non modò firmiora non afferat, sed ne unum quidem proferat ex multis illis quibus abundare se gloriatur ac jactitat.

Multa alia prætereo quæ in Baronium eò acerbiùs profert, quòd ad Usuardi causam de qua agitur haud quaquam pertineant. In hac verò causâ, quàm parum sincerè cum eo agit. Quippe Baronium nobis exhibet parum sibi constantem, & eos ipsos auctores spernentem ac confutantem, quibus ad probandam sententiam suam utitur. Sic enim loquitur Dissertator: *Baronius autem ad aliam anchoram confugit, nimirùm ad divinum Officium Ecclesiæ*, quæ licèt nul-

Pag. 80.

lum eâ de re Decretum edixe- «
rit, in ipsis sacris Ecclesiasticis «
precibus, quas eâ die recitare «
consuevit, id affirmasse sæpiùs «
videtur, Versibus, Responso- «
riis, Antiphonis & Lectionibus. «
In quam sententiam, *ait*, cùm «
Patres omnes, qui de eâ re ege- «
runt, æquè conspirent & scho- «
lasticorum classis pariter con- «
sentiat, nullus remanet de eâ «
re dubitandi locus. «

At primùm in his verbis observandum nobis videtur, quòd tametsi Baronius Patres omnes æquè conspirasse dicat, nullos tamen Patres adduxerit, præter illos quos modò retulimus, quosque ipse, sicuti demonstravimus, liberè refutavit. Sed & plurimùm in hoc à seipso Baronium dissentire patet, cùm Patres omnes qui eâ de re egerunt, quasi consentientes *nominat*, inter se tamen *paulò antea* 81. invicem dissidere *dixit*, & mon-

ſtroſam quamdam inter eos diſcrepantiam reperiri, *de tempore nempe dormitionis B. Mariæ varia afferentes, quæ hiſtoriæ Aſſumptionis corporeæ convenire nequeunt, tametſi ab iſtius temporis epochâ tota hujus Hiſtoriæ veritas dependeat, ut ſatis ab iis, quæ ſuprà dicta ſunt, apparet.*

Ut ergo Baronium ab illis calumniis vindicem, oſtendamque ſibi ipſi ſemper conſentientem fuiſſe, iterum moneo, diſtinguendum eſſe inter veritatem ſeu ſubſtantiam Aſſumptionis, & ejus circumſtantias. Subſtantiam appello, quòd aſſumpta ſit in cælum corpore & animâ. Circumſtantias, quòd hoc vel illo anno Chriſti; hoc vel illo ætatis; quòd ejus funeri interfuerint Apoſtoli, vel non; & ſi interfuerunt, an miraculo per aërem rapti; an citra miraculum, & alia ejuſmodi.

Et quidem ad ſubſtantiam Aſſumptionis quod attinet, de illâ numquam dubiè loquitur Baronius; immo totus eſt in eâ aſſerendâ adversùs Adonem & Uſuardum, quos acriter reprehendit, quia negant Eccleſiam ſcire utrum corpus Mariæ virginis cælo receptum fuerit. Cùm autem ait Patres omnes qui de eâ re egerunt æquè conſpirare in eam ſententiam, de Græcis Patribus ac Latinis loquitur, qui hoc argumentum pertractarunt; non autem de illis Scriptoribus, quos ut apocryphos & nullius fidei rejicit; quamquam (ut hoc obiter moneam,) non quæcumque in apocryphis libris habentur, omninò rejicienda ſunt.

De circumſtantiis verò Aſſumptionis, dubiè quidem loquitur Baronius; nam, (quod jam obſervatum) in incerto relinquit, quo Chriſti anno B. Vir-

go ſit mortua. Atque illud eſt in quo auctores inter *ſe diſſentire* dixit, & *monſtroſam quamdam inter eos diſcrepantiam reperiri*, cùm de tempore Aſſumptionis ejus varia referantur à variis. Neque tamen rectè infert Jolius, *ab iſtius temporis epochâ totam hujuſce hiſtoriæ veritatem pendere*, (ſi hiſtoriam Aſſumptionis ab ejus ſubſtantiâ non diſtinguit.) Numquid enim Chriſti reſurrectio certa, quamvis quâ horâ reſurrexerit incertum maneat, inquit Hieronymus? Pari ergo jure conſtare poteſt, conſtatque Mariam Virginem corpore & animâ aſſumptam eſſe, licèt quo anno, quove tempore id contigerit, non liqueat.

Eodem quoque ſenſu intelligenda ſunt alia Baronii verba, » quibus ait ſe non poſſe non ve- » hementer mirari, tantæ rei hi- » ſtoriam vel ſaltem tempus mi-

grationis ejus sic à Scriptoribus « prætermissum, ut opus fuerit, « non quod scriptorum monu- « mentis testatum esset; sed ho- « rum penuriâ, quid huic vel illi « eâ de re fuerit revelatum inve- « stigare, & ut facit Eusebius, hi- « storicam veritatem incertorum « hominum revelationi commit- « tere. «

Cùm hîc audis, *Historicam veritatem*, cave ne intelligas substantiam seu veritatem Assumptionis. Nam historia de quâ loquitur Baronius, pertinet ad circumstantias temporis, quo Maria Virgo assumpta est. Quod tempus ita incertum esse miratur, ut ejus notitiam necesse fuerit ex incertorum hominum revelationibus repetere. Hanc autem esse Baronii mentem hinc apertè colligitur, quod de Assumptione ipsâ, quin corpore ut anima facta sit, numquam du-

biè loquutus fuerit. Quod iis plane constabit, qui quæ scripsit in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi quadragesimum octavum consulere & attentè legere studuerint.

Ceterùm, licèt hîc Baronii mentem ac sententiam sequi gloriæ ducimus, non rectè tamen
Pag. 13. à Dissertatore dictum, *eos qui contra Vsuardum reclamant, cùm Cardinalis Baronii auctoritate utantur, nihil aliud exposcere valere, nisi ut ipsius rationes expendantur.* Non enim id professi fuimus in Capitulo. Nosque revera sola auctoritate Baronii non niti satis probant quæ hoc opere toto, aliunde quàm ex Baronio deprompta, adduximus.

Articulus Quintus.

Solvuntur rationes quas Christiano-politicas vocat Dissertator.

Hæsi aliquamdiù num rationibus responderem quas Christiano-politicas vocat, quòd nempe non viderentur tanti. Vicit tamen illa cogitatio, dicturum alioquin Dissertatorem; si quid validius attulisset, id, quia solvere non possem, à me prætermissum. Expendamus igitur quas ob causas Usuardi verba ad xviij. Calend. Septemb. ex Martyrologio Parisiensi expungi vetet.

Sicuti, inquit, *Martyrologium Vsuardi jußu Caroli Magni confectum est, ita & Martyrologium Parisiense ejusdem Caroli jußu digestum. Non dubium est autem, quin ad hæc Carolus magnus pro* Pag. 148.

bono Ecclesiæ Gallicanæ, ac præcipuè Parisiensis, attenderit.

Quàm infirma sit prima ista ratio hinc patet, quòd Caroli Magni (seu potiùs Caroli Calvi) auctoritas non obstitit quò minùs menda quàm plurima in Martyrologium Usuardi irrepserint, quæ à viris doctis nihilo quoque seciùs sunt observata. Non obstitit etiam Caroli auctoritas quò minùs à centum & ampliùs annis eadem Usuardi verba rejecta fuerint. Consuluit quidem Carolus Ecclesiæ Gallicanæ bono; quis neget? Sed an propterea quæcumque habentur in Martyrologio Usuardi probanda sunt? Nemo id dixerit, ne Dissertator quidem.

Neque verò potestatis regiæ ac Politicæ quidquam interest, legantur nec-ne Usuardi verba ad diem xv. Augusti. Quamvis enim Officium Ecclesiasticum temerè

temerè non sit immutandum, ac, ne id fiat, Christianissimi Principes pro suo jure ac pietate cavere possint; hoc tamen non universim de quavis mutatione intelligi debet; sed de illâ propter quam mutatum revera officium dici possit. Quòd autem verba pauciſſima, quæ ante centum annos legi solebant à puero symphoniaco, idque semel in anno, ad illam Officii partem quæ Prima dicitur, cui non ita multi interesse solent, non ampliùs legantur, an propterea mutatum Officium dici queat? An à centum annis & ampliùs aliquis præter Dissertatorem de mutatione conqueſtus? Adde quamplurimas in Galliâ esse Ecclesias, quæ ne quidem Martyrologium Usuardi admiserint.

Videat verò Dissertator num ipse potiùs regiæ potestati ad-

versetur. Cùm enim Rex Christianissimus & invictissimus Ludovicus eo nomine XIV. quo feliciter imperante hæc scribimus, Patris Ludovici XIII. pietatem æmulatus, se regnumque suum in tutelam Assumptæ Virginis tradiderit, atque adeò non dubitet quin ad cælum corpore ut animâ iverit: An non pietatis ejus interest, ne Usuardi verba restituantur, quæ suam ac decessorum Religionem tam manifestè labefactant.

De Senonensi Ecclesiâ quæ affert, miserationem potiùs quàm responsionem postulant. Certè aut sunt hominis valdè meticulosi, aut Senonensem Ecclesiam sibi devincire plurimùm satagentis, tum alias ob causas, tum quia Dissertatio ibi in lucem edita. Audiamus ejus ratiocinationem. Cùm, inquit, Ecclesia Senonensis, in quâ leguntur verba

Pag. 151.

Usuardi, jus Metropoliticum in Parisiensem Ecclesiam non amplius obtineat, idcircò Usuardi verba retinenda sunt, ne si auferantur, id in invidiam & obtrectationem trahatur, quasi Parisiensis Ecclesia omnes notas & vestigia supprimere velit conformitatis antiquę divini utriusque Officii, quæ inter Metropolitanam & Suffraganeam esse solet.

Egregiam rationem, quæ hoc uno argumento exploditur. A centum annis Usuardi verba non sunt lecta in Ecclesiâ Parisiensi; an id ægrè tulit Ecclesia Senonensis? An vel semel eâ de re conquesta est? Quæ tamen eo potiori jure potuit ac debuit, si quâ in re læderetur, quòd jus Metropoliticum in Ecclesiam Parisiensem tunc temporis obtineret. Quid diutiùs in his immoramur?

Tertiam addit rationem, quæ ipsius sensu valere plurimùm debeat apud Literatos, sed quæ ad hanc causam vix pertineat, cùm ab exemplo in re non simili ducatur. *In Martyrologio Parisiensi V. Nonas sive 3. Octobris Natalis B. Dionysii Episcopi & Martyris refertur, qui apud Bedam, Vsuardum & Adonem ex Menologio Græcorum dicitur Areopagita, obque eam causam Aristides ibi in testimonium adducitur. Attamen in Ecclesiâ Parisiensi Festum istud eo die non celebratur, sed VII. Idus,* Pag. 151. *hoc est 9. Octobris. Itaque si verba Vsuardi de Dormitione B. Mariæ ex Martyrologio Parisiensi tolli debent, quia quibusdam non videntur bene convenire festo Assumptionis, multò magis auferri par est testimonium illud de Natali B. Dionysii Areopagitæ, quod ibi refertur 3. die Octobris, cùm apertæ falsitatis redarguat solemnitatem die 9.*

quo Areopagitæ festum sit, quasi primi Parisiorum Episcopi.

Noluit Dissertator mentem aperire num censeat Dionysium Areopagitam eumdem esse ac primum Parisiorum Episcopum. Nisi tamen id supponitur, nulla vis in hac tertiâ quam affert ratione. Si verò id admittit, consulat Vindices Areopagiticos, à quibus ediscet quomodo nodus hic de duobus Dionysiis tum V. Nonas, tum vij. Idus Octobris solvendus sit.

Sed ad propositum. Dispar omnino ratio in utroque exemplo. Nam hæc verba quæ leguntur in Martyrologio Parisiensi, *V. Nonas Octobris Natalis B. Dionysii Episcopi & Martyris*, facilè conciliari possunt cum aliis VII. Idus Octobris; nempe, tum ex diverso usu Græcorum & Latinorum; tum quia etiam apud Latinos de uno eodemque sancto diversis

diebus fit aliquando solemnitas, ob varias rationes; ut exemplo festi Assumptionis probavimus.

At verò quæ leguntur apud Usuardum xviij. Cal. Septemb. manifestè pugnant cum traditione antiquâ Ecclesiæ de Assumptione Beatæ Virginis. Nam Usuardus ait Ecclesiam nescire utrum corpus ejus alicubi in terris occultatum fuerit, aut omnino quid de illo statuerit Deus; Ecclesia verò id se scire semper professa est, cùm inter orandum in Officio publico agnoverit agnoscatque Mariam Virginem mortem quidem subiisse temporalem, sed mortis nexibus deprimi non potuisse, quia nempe animâ & corpore in cælum evecta fuit.

Atque hæc ad rationes Christiano-politicas Dissertatoris, quas revera nec Christia-

nas, nec Politicas esse demonstravimus. Posthæc finem operi imponit, lætusque admodum de re prosperè gesta, immo de victoriâ certissimè reportatâ, Epinicium sibi ipsi canit his verbis:
Cùm igitur Vsuardi verba B. Virginis honori nihil detrahant, nec ejus Assumptionem corporalem oppugnent, sed tantùm affirmationem excludant: cùm & pios & doctos Autores idem sentientes & ante & post se habuerit; cùm ipsius Martyrologium ab omni ævo in Gallicanis Ecclesiis, ac præsertim Senonensi tunc Parisiensis Metropolitanâ locum obtinuerit, ac potissimùm in Parisiensi usitatum fuerit, in quâ ab Episcopis & Canonicis Parisiensibus comprobatum, ac longi temporis præscriptione suffultum est; cùm veteri Martyrologio Romano conforme repertum sit; melius esse videtur nihil immutare, quàm autorem Gallum, ac fortasse Parisien- Pag. 154.

sem, & Galliæ usui à Carolo Magno Rege atque Imperatore, Gallicanæ Ecclesiæ valdè studioso, destinatum, turpiter ejicere; quàm aliquam novitatem inducere, quæ nequeat priscis Ecclesiæ Parisiensis Præsulibus injuriosa non videri; difformitatemque ac discrepantiam ab aliis Franciæ Ecclesiis afferre, contra ipsius libertates, inter quas, ut diximus, Officia particularia cujuslibet Ecclesiæ referuntur.

Nos verò hæc ei reponimus; quibus scilicet intelligat, se, quod aiunt, victoriam canere ante triumphum, cùm paucis verbis immutatis totam illam imaginarii triumphi machinam disjiciamus.

Cùm igitur Usuardi verba B. Virginis honori plurimùm detrahant, ejusque Assumptionem corporalem oppugnent, quamvis specie tenùs affirmationem tantùm excludere videantur; quia

quia nimirùm si nulla suppetit ratio ad probandam ejus Assumptionem corporalem, (qui unicus fuit Dissertatori scopus opere toto) corruat ejus fides ac religio necesse est. Quis enim id credat quod nullâ prorsùs ratione fulciatur?

Cùm Usuardus pios nullos nec doctos auctores idem sentientes, nec ante, nec post se habuerit, nisi paucos illos à Pseudohieronymo deceptos, de quibus suprà egimus.

Cùm Usuardi Martyrologium etsi in Gallicanis aliquot Ecclesiis receptum, in aliis tamen numero pluribus non sit admissum; nec si locum obtinuerit in Senonensi Ecclesiâ & Parisiensi, inde consequens sit quæcumque in eo habentur ab iisdem probata esse Ecclesiis; alioquin quæ in eo sunt menda plurima probari quoque ab eis sequeretur.

Cùm Martyrologium Rosvueydi, quod pro Romano veteri venditat, nihil minùs sit quàm vetus Romanum, ut suprà ostendimus, ac proinde Martyrologium Usuardi juvare non possit quam cum illo habet conformitas; eò minùs quòd Dormitionis vocabulum Catholicorum de assumpto corpore Virginis sententiæ non officit.

Cùm, inquam, hæc ita se habeant, melius & consultius videtur, Usuardum non omnino quidem abjicere, (multa enim habet commendatione digna) sed tamen in iis quæ de Assumptione Virginis scribit fidem ei omnem adimere, quantumvis Gallo auctori, ac fortasse Parisiensi, & Galliæ usui à Carolo Magno Rege atque Imperatore, qui Ecclesiæ Gallicanæ valdè studiosus erat, destinato.

Nec si ex Martyrologio Pari-

ſienſi expungantur Uſuardi verba de quibus agimus, propterea novitas inducetur priſcis Eccleſiæ Pariſienſis Præſulibus injurioſa; tum quia jam à centum annis verba Uſuardi non ſunt lecta in Eccleſiâ Pariſienſi; tum quia non quidquid de novo ſtatuitur, injurioſum dici poteſt iis qui contrarium anteà uſurpabant.

Nec prætereà etiam difformitas ac diſcrepantia ulla ab aliis Eccleſiis Franciæ afferetur, quippe quæ Martyrologium Uſuardi nondum admiſerint; nedum probaverint omnia quæ in eo leguntur.

Denique, nec dejectis Uſuardi verbis lædentur Eccleſiarum Franciæ libertates, inter quas ſi Officia pecularia cujuſvis Eccleſiæ cenſeantur, id intelligi debet, non de quavis mutatione, ſed de illâ dumtaxat quæ

sit alicujus saltem momenti ; cujusmodi non erit , expunctis Usuardi verbis die 15. mensis Augusti.

Vides , Lector, quàm nullo negotio Dissertatoris vires collectas simul in verbis suprà laudatis fregerimus , ac proinde quàm improvidè triumphum ante victoriam cecinerit. Quis autem non valdè miretur hæc quæ subjungit ? *De cætero in Officio divino in die Assumptionis B. Mariæ nihil nunc immutandum esse ducimus , quam cum reverendo silentio juxta Durandum & Belethum totaliter & integrè fuisse assumptam piè credimus.*

Pag. 155.

Si nihil immutandum existimat eo in Officio , ergo restituenda non sunt Usuardi verba, quæ à centum annis inde sunt ablata. Quis verò ferre possit rationem quam affert , ut piè tantùm , hoc est , dubitanter ac

cum silentio credamus Assumptionem Mariæ Virginis animâ & corpore. Nimirum, *ne Hæreticis ansam præbeamus calumniandi nos, qui dum quod asseveramus fundamentis solidis non fulcimus, id convellendi audaciam sumant, & in pertinaciâ atque in infidelitate suâ pertinaciores fiant?* Pag. 156.

Ergo de veritate paciſci oportet, ne nos calumnientur Hæretici? Ergo eò usque illis gratificandum ut fateamur quæ nitantur Ecclesiæ consensu non esse certa, ac proinde dubitandum de Assumptione Virginis, quantumvis perpetuo Ecclesiæ consensu fulciatur? Est-ne quisquam cui hoc æquum videri possit? Quantò verò pervicaciores erunt & pertinaciores Hæretici, si semel fateamur, piè quidem nos assumptam Virginem credere, sed dubitanter, sed silentio, sed sine fundamen-

to solido? Numquid enim statim reponent nos ineptos vel mendaces, qui id credamus aut fingamus nos credere quod ipsimet nullo fundamento fulciri asseramus; quodque palàm profiteri non audeamus? En quò perducat receptis in Ecclesiâ Catholicâ opinionibus temerè contradicandi libido.

Articulus Sextus.

Epilogus.

Hactenus priscam & sanctam Majorum traditionem de Assumptione Deiparæ Virginis vindicavimus adversùs Usuardum & Dissertatorem ejus patronum. Quæ autem à nobis scripta sunt in hac causâ, ut ceteris omnibus Catholicis acceptissima, ita & ipsi Dissertatori non prorsùs ingrata fore

confidimus. Novit ingenium noſtrum à rixis & contentionibus alienum, ſcribendique pigrum, niſi cùm maxima urget neceſſitas. Quæ verò neceſſitas major Theologum & Canonicum Pariſienſem ad ſcribendum adigat, quàm cùm ſuus Virgini de aſſumpto corpore præripitur honos, cui utroque nomine ſervire debet?

De Crœſi filio notiſſima Hiſtoria. Cùm anteà mutus eſſet, intentatum parenti periculum vocem reddidit. Et nos muti ſimus, cùm antiquus ac debitus erga Dei atque adeò Chriſtianorum omnium matrem cultus convellitur? A quo verò? Ab eo quem ejus acerrimum vindicem eſſe oportuit, cùm & ipſe jam totos ferè quadraginta annos inter Canonicos Pariſienſes, hoc eſt, inter aſſumptæ in cælum Virginis cultores præcipuos ſedeat.

Sanè si quâ parte nutaret vetustissima traditio quam propugnamus, id à quovis alio potiùs quàm à Canonico Parisiensi redarguendum fuerat. Quam ergo excusationem mereatur Usuardi Apologista, qui nullâ momenti alicujus ratione adductus, certam & Catholicis omnibus probatam traditionem evertere præsumat? Tu ipse, benigne Lector, judex esto, quàm facili negotio sua illi præsidia omnia eripuimus. Dormitionis, quietis, pausationis, & si qua sunt ejusmodi nomina, antiquæ de assumpto corpore Virginis religioni non obesse ostendimus. Si qui auctores, numero pauci, eâ de re dubitaverint, causam aperuimus unde exorta esset dubitatio. Martyrologium Rosvueydi, quod tutissimæ arcis loco habebat, ne receptaculum quidem ipsi dare convicimus,

cùm nec Romanum vetus esse, nec alicujus ferè pretii jam exploratum sit inter eruditos.

Neque verò in confutandis dumtaxat illius rationibus impendimus operam ; ipsam per se veritatem stabilivimus quibus certè par erat argumentis. Nempe ex perpetuo unanimique sensu Ecclesiæ, cujus fidem fecerunt Martyrologia, Calendaria, Rituales libri sive Ecclesiastici ; nec non deprompta ex sanctis Patribus, aliisque per singulas ætates auctoribus testimonia. Nec omisimus Festi Assumptionis ritum sanctissimum pariter ac vetustissimum, quippe quem cum ipsâ Ecclesiâ exortum esse non dubia Bernardo aliisque gravissimis scriptoribus videatur quæstio. Quin & rationes à nobis sunt allatæ, non nudæ illæ, sed Scripturæ Sacræ præsidio innixæ, quibus, quod decuisse fieri

Dissertator ipse agnoscit, factum revera esse conficitur.

Quid jam supereſt nisi ut ipsum amicè, quod facimus, adhortemur, ne Immortali erigat cippum; ne de thalamo faciat tumulum; ne subactæ mortis trophæum æternæ vitæ parenti invideat? Satis superque aquam quæsivit in cisternis dissipatis. Puros nunc fontes adeat, unde manantes antiquæ traditionis latices hauriat. Puros fontes voco Græcorum Patrum scripta, quibus suam de assumpto corpore Virginis sententiam declararunt. Puros fontes appello Latinorum quoque Patrum monumenta, in quibus traditam à Gregorio Magno doctrinam fidelissimè custoditam cernere licet. Quidni etiam puros fontes nominem Theologorum post sanctum Thomam lucubrationes doctissimas, ipsamque adeò Sacram Parisien-

sem facultatem, quæ Usuardum ejusque sectatores æternùm suâ censurâ profligavit?

Quòd si ista non movent Usuardi patronum, moveat saltem Parisiensis Ecclesiæ, cujus in primariâ Basilica Deo famulatur, exemplum, quæ ab istâ sententiâ nunquam discessit. Habuit hæc Ecclesia quovis sæculo Præsules doctissimos ac sanctissimos. An quisquam aliter sensit, ac Guillelmus Arvernus Parisiensis nomine notissimus, cujus verba suprà retulimus? Habet verò nunc eadem Ecclesia, atque ut diù habeat vovemus, eum Archiepiscopum qui doctrinâ & pietate nulli cedat Antecessorum suorum; Illustrissimum Harduinum Perefixium dico, Doctorem ac Provisorem Sorbonicum, quem, si qua hærebat dubitatio, consulere potuit Dissertator ac debuit. Immo

cùm tantum Præsulem ab Usuardi sensu omnino abhorrere probè nosset, ut ejus patrocinium non susciperet, satis causæ fuit.

Denique cogitet quantam apud pios omnes ac verè doctos offensionem incurrerit, qui indignantur novitatibus istis simpliciorum animos turbari, ipsamque Ecclesiam ignorantiæ aut oscitantiæ accusari; quippe quę tot sæcula superstitiosum cultum Christianorum animis hærere passa fuerit, si non etiam ipsa invexerit. Si enim Virgo Deipara corpore in cælum non est evecta. Si corpus ejus alicubi in terris occultatum manet. Si (quod vel cogitare nefas) corpus idem puriſſimum ac sanctiſſimum communi cum ceteris corruptioni obnoxium fuit; O vos sæculorum omnium Græci Latinique Patres miserè superstitiosi! O vos Thomæ Aquina-

tes, Bonaventuræ, Durandi, Gerſones, Theologi ceteri pariter indignè ſuperſtitioſi. O vos demùm Catholici omnes, ubicumque vera Chriſti Religio ſervatur, fœdâ quoque ſuperſtitione impliciti, qui Mariæ Virginis corpus illic ubi non eſt aut coluiſtis, aut etiamnum religiosè colere arbitramini.

Dicet Adverſarius ſe id factum non negare, ſed dubium dumtaxat & incertum aſſerere. Ergo conſenſit Eccleſia eum cultum univerſim apud ſuos admitti, quem ipſa neſciat, verus-ne cultus ſit an ſuperſtitio? Si enim Eccleſia neſcit an corpus Virginis cælo ſit receptum, neſcit quoque an id rectè credatur à Fidelibus, cùm ea quę dubia ſunt & incerta in alterutram partem cadere poſſint.

Piget in iſtis diutiùs verſari. Quapropter exorari ſe ſinat Ad-

versarius, sibique Augustinum eadem dicere putet quæ olim Juliano: *Agnosce, fili, consonas Catholicas voces, & ab eis desine dissonare.* Cogitet non usque adeò miscuisse ima summis longum diem; usque adeò tenebras lucem & lucem tenebras dici, ut quotquot hactenus traditionem quam tuemur amplexi sunt cœci fuerint, ipsi verò uni post tot sæcula lucem veritatis videre concessum fuerit.

L. 2. contr. Jul. c. 3.

Vno verbo, Illi ne doleat, quod Dissertatione suâ scandalum peperit, plenâ sincerâque retractatione emendare; dicatque cum Joanne de Turrecremata sæculi sui clarissimâ luce, sed corde potiùs quàm verbis: *Firmissimè credimus, Domine Jesu, quòd tu Matrem tuam glorioſam in ejus Assumptione ita omnimodâ in corpore & animâ illustraveris gloriâ, ut nulla mortalis lingua valeat exprimere.* FINIS.

In Medit.

SEQUENTEM HOMILIAM à triginta ſupra centum annis lectam fuiſſe in Eccleſiâ Pariſienſi feſto die Aſſumptionis inde conſtat, quòd in Manuſcripto codice Martyrologii Pariſienſis, cui inſerta eſt, ad finem ejuſdem Homiliæ legitur hic numerus 1540.

XVIII. Kal. Septembris.

DORMITIO ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, atque in cælum ipſius Aſſumptio cum corpore & animâ, ſanctorum auctoritatibus, Magiſtrorum rationibus, revelationibus itidem, & ſolemni cultu, iis qui de ſorte Domini ſunt, celebranda præcipitur. Nec attendendum eſt quod Sophronio & Hieronymo aſcribitur, de hâc re ad Paulam & Eu-

ſtochium, dubium aliquando relictum, cùm matris noſtræ Eccleſiæ uſus & auctoritas oppoſitum manifeſtet. Quare audite, Fratres mei, Auguſtinum dicentem, Contra rationem nemo ſobrius, contra Scripturas nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam nemo pacificus ſenſerit. Scriptura dicit: Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ. Surrexit Dominus, non quoad divinitatem, nec quoad animam, quæ numquam cecidit: ſed quoad corpus, quod poſt multas afflictiones & injurias per mortem cecidit, & poſtea reſurrexit. Similiter arca ſanctificationis, id eſt, plena rebus ſanctis Maria, etiam ut Filius reſurrexit in eo corpore & animâ, quod confirmat Auguſtinus, dicens: Thronum Dei, tabernaculum Chriſti, thalamum Domini, id eſt, corpus Mariæ, neceſſe eſt ibi eſſe, ubi ipſe eſt. Hunc theſaurum dignius eſt in cælo ſervari, quàm in terrâ.

Beatiſ-

Beatissimus Bernardus hoc ipsum tali nobis corroborat ratione: si Virginis Mariæ corpus cum animâ assumptum non fuisset, sed in terris occultatum remansisset; videretur Christus Dominus contempsisse, vel minùs de matris suæ honore curasse, cùm tamen eam summè honoraverit & dilexerit. Nam corpora sanctorum, quia in terris remanserunt, & cognitus illorum locus est, idcircò ad illa veneranda illuc devoti Christiani non segniter accedunt: quod de Petro & Paulo cæterisque Dei electis non obscurum extitit: multò magis à fidelibus Beatæ Mariæ corpus, si in terris esset, devotâ visitatione coleretur, frequentiorque Christianorum concursus illic appareret. Ergo si in cælo, non cum animâ esset divæ Virginis corpus assumptum, sed in terris occultatum, passus fuisset Dominus, illius Filius & caro, corporis materni locum ignorari; cùm

tamen veneratione majori, quàm cæterorum ſanctorum corpora, nempe hyperduliâ, honorandum negare non poſſimus. Helias (dic obſecro) numquid in cælum curru levatur igneo, & Mater Dei computruit in tumulo? Ecce tibi mater ſancta Eccleſia aliter ſonat, ejuſque univerſalis oratio, in quâ de ipsâ dicitur: Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum de ſe genuit incarnatum. Quod ſi verum eſt, conſequitur quòd devictâ morte, cum corpore glorificata aſcenderit, & ut brevi verbo loquendi finem faciam, cum ſoluto mortis debito, terræ conſtet cum corpore commendatam, aut ſepultam reddant, aut reſurgentem. Immo ſublimatam cum corpore venerentur nobiſcum orantes, ut ejus interventu mereamur transferri ad eamdem gloriæ felicitatem, quam hodiernâ die ingreſſa eſt, præſtante Domino

nostro Iesu Christo, cujus regnum & imperium permanet in sæcula sæculorum. Amen.

CENSVRA
Sacræ Facultatis Parisiensis.
Anno 1497.

Qualificatio propositionum Fratris Ioannis Morcelli Prædicatoris.

ANNO Domini 1497. 26. Augusti qualificavit Facultas, approbando novem Deputatorum sententiam, propositiones Fratris Ioannis Morcelle Prædicatoris modo qui sequitur.

Prima propositio. *Deus potest producere creaturam puram in majori gloriâ, quàm sit Virgo Maria de potentiâ absolutâ, licèt non de potentiâ ordinariâ.*

Quoad primam partem licèt sit vera, tamen ineptè, indiscretè, infructuosè & sine ædificatione populi taliter prædicata, nec de cætero taliter prædicanda. Quoad secundam partem si comparare

intendat Virginem ad humanitatem Christi, vel animam ejus quoad gloriam, falsa est, erronea in fide, & sic revocanda.

Secunda propositio. *Problema est Virginem Mariam pulchriorem esse corporaliter Evâ.*

Est temeraria, laudis & dignitatis Virginis detractiva, falsa, dictis Sanctorum dissona, Scripturæ Sacræ verisimiliter contraria, de hæresi suspecta; ideò revocanda.

Tertia propositio. *Christum occurrisse Virgini Mariæ in suâ Assumptione apocryphum est.*

Falsa est, contra scripta Doctorum, impietati favens, piarum aurium offensiva, detractiva populi à devotione quam habet ad Virginem Dei genitricem; ideò revocanda.

Quarta propositio. *Nos non tenemur credere sub pœnâ peccati mortalis quòd Virgo fuit assumpta in corpore & animâ, quia non est Articulus Fidei.*

Vt jacet, temeraria, scandalosa, impia, devotionis populi ad Virginem diminutiva, falsa & hæretica; ideò revocanda publicè.

Revocatæ sunt 23. per Prædicatorem

Fratrem Ioannem Morcelle, in præsentiâ Facultatis, revocabítque coràm populo in die Nativitatis Virginis Mariæ proximè venturâ in Ecclesiâ sancti Benedicti, ubi propositiones prædicaverat in die Assumptionis, cujus revocationis copia & schedulæ per Facultatem Theologiæ confectæ, de consensu reverendi in Christo Patris & Domini Episcopi Parisiensis, datæ per prædictam Facultatem Fratri Ioanni Morcelle ad pronuntiandum in suo sermone quem fecit in die Nativitatis B. Mariæ in Ecclesiâ sancti Benedicti Bene-eversi, Parisiis, anno, die, mense prædictis.

Tenor sequitur.

PAR le commandement de reverend Pere en Dieu Monsieur l'Evesque de Paris, & de la tres-sacrée Faculté de Paris ma mere, Ie frere Iean Morcelle Prestre, de l'Ordre des Iacobins, Bachelier formé en Theologie, suis icy venu pour revocquer & reparer aucunes propositions par moy preschées en cette presente Eglise le jour de l'Assomption de la tres-pure & tres-glorieuse Vierge Marie, Mere de nostre Sauveur & Redempteur Iesus-Christ, & vous dire clairement ce qui ensuit.

Le frere Iean Morcelle Preſtre, Iacobin, Bachelier formé en Theologie, confeſſe avoir preſché le jour de l'Aſſomption de la tres-pure & tres-glorieuſe Vierge Marie dernier paſſé en l'Egliſe de ceans ſaint Benoiſt le Bien-tourné, les trois propoſitions qui enſuivent.

La premiere. *Il eſt probleme ſi Eve a eſté plus belle corporellement que la Vierge Marie.*

La ſeconde. *C'eſt choſe apocryphe que Ieſus-Chriſt ſoit venu au devant de la Vierge Marie ſa mere, quand elle a eſté aſſumée & élevée en Paradis.*

La troiſiéme. *Nous ne ſommes point tenus croire ſous peine de peché mortel, que la Vierge Marie ait eſté aſſumée en Paradis en corps & en ame, parce que ce n'eſt pas un article de Foy.*

Leſquelles trois propoſitions ladite tres-ſacrée Faculté de Theologie ma mere a qualifiées, & mondit Seigneur l'Eveſque de Paris a confirmé & a eu agreable icelle qualification qui s'enſuit.

La premiere propoſition. *Il eſt probleme ſi Eve a eſté plus belle corporellement que la Vierge Marie.*

Cette propoſition eſt temeraire detra-

ctive de la loüange & de la dignité de la Vierge Marie, Mere du plus beau qui oncques fut, ny ſera, fauſſe, diſſonante aux dits des ſaints Docteurs, vray-ſemblablement contraire à la Sainte Eſcriture, & ſuſpecte d'hereſie.

La ſeconde. *C'eſt choſe apocryphe que Ieſus-Chriſt ſoit venu au devant de la Vierge Marie ſa Mere, quand elle a eſté aſſumée & élevée en Paradis.*

Cette propoſition eſt fauſſe, contre les dits des Docteurs, favoriſant à impieté ou faute d'honneur de fils à mere, offenſive des bonnes & devotes oreilles, diminutive de la devotion du peuple Chreſtien, qu'il a à la tres-glorieuſe Vierge Marie Mere de noſtre Sauveur & Redempteur Ieſus-Chriſt.

La tierce. *Nous ne ſommes point tenus croire ſur peine de peché mortel, que la Vierge Marie ait eſté aſſumée en corps & en ame, parce que ce n'eſt pas article de Foy.*

Cette propoſition comme elle giſt, eſt temeraire, ſcandaleuſe contre la commune croyance diminutive de la bonne devotion du peuple Chreſtien à la tres-excellente & tres-benoiſte Vierge Marie, fauſſe & heretique.

Et pource que je Frere Iean Morcelle, veux & desire preſcher le peuple de Dieu vraye & ſaine doctrine à l'edification des ames, honorer Dieu, & la tres-pure & tres-glorieuſe Vierge Marie ſa Mere, obeyr à noſtre Mere ſainte Egliſe, à Reverend Pere Monſieur l'Eveſque de Paris, & à la tres-ſacrée Faculté de Theologie ma mere, je retracte, revocque & rappelle les trois propoſitions ainſi par moy preſchées en ce lieu, en adherant & conſentant auſdites qualifications faites par la tres-ſacrée Faculté de Theologie ma mere, confirmées & approuvées par mondit ſieur Reverend Pere en Dieu Monſieur l'Eveſque de Paris, jure & promets par mes ſaints Ordres enſuivre leurdite determination, & jamais ne venir au contraire. Et ainſi m'ayde noſtre Sauveur & Redempteur Ieſus-Chriſt, & ſa tres-pure & glorieuſe Mere, Marie.

VA 1
1529923